BARTHOLOMAEI CAMERARII BENEVENTANI,

DE PVRGATORIO IGNE DIALOGI DVO.

Romæ apud Antonium Bladum Impressorem Cameralem Anno M. D. LVII.

Lea
239.1
C143

UNIVERSITY
of
PENNSYLVANIA
LIBRARIES

AD SANCTISSIMVM PAVLVM QVARTVM PONT. MAX.

OLENT pleriq; eam ob cauſam magnis uiris libros dedicare, quos longa meditatione excuderint, ut potentes fautores uigiliarum habeant ſuarum. Quod quidem ſi mihi quoq; ſpectandum ſit, quiſnam te hoc tempore potẽtior? qui non ſolum maiorum tuorum gloria, ſplendoreq; domeſtico tantorum Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, cæterorumq; ſtrenuiſſimorum equeſtris ordinis uirorum domus tuæ Carafæ ſplendes; uerũ etiam utriuſq; clauis poteſtatem retinens, & parcere ſubiectis ſoles, & impios, ac ſuperbos, qui à te Chriſti Vicario deficere auſi ſunt, iam incipis debellare. Sunt etiam, qui lucubrationes ſuas uiris excellenti doctrina præditis eo conſilio dedicent, ut illorum nomen, & auctoritas eas illuſtret, atq; commendet: Si cuiuſquam autem animus ea re impellitur, non'ne meus etiam debet commoueri? cum tu is ſis, cui neq; rerum ſcientia, neque uerborum copia in ullo linguarum genere deeſt: ut tam in rebus, q; in uerbis libello huic magnum ex te ornamentum poſſit accedere. Alij uero huiuſmodi muneribus, hominibus de ſe bene meritis gratum ſuum animum uolunt declarare: quos ſi ego imitari uelim, quis eſt, cui plus, q; tibi debeam? cuius in familiam tanta cum benignitate aſcitus ſum, tantisq; laudibus, tum ore tuo enarratis, tum ſcriptis etiam ornatus; ut gentes omnes, de quibus iudicandi penes te ius eſt, & poteſtas, nunc eorum, qui in me iniuſtè debacchati ſunt, iniquitatem apertiſſime cognoſcant. Quare maiorem in modum à te peto; ut libellum hunc

eo ipso tempore conscriptum, quo hæc sedes multis calamitatibus à Domino affligebatur, ut uidelicet mentes nostras purgãret, & patientiæ periculum faceret: quo quidem tempore & iuri summis uigilijs operam dare, & ad Theologiæ studia incumbere, ut mandata tua exequi possem sic cogebar; ut neq; dormiendi locus noctis tempore mihi relinqueretur, neq; à diluculo ad mediam noctem usq; militum, lanionum, pistorum, molitorum, mulionumq; strepitus ipsis etiam sexaginta diebus, per quos febri continua laboraui uel momento effugere possem; nunc uero nomini tuo Sanctissimo consecratum benigno animo ita accipias rogo, ut & tua censura illustratum, & auctoritate confirmatum sic in manus hominum perueniat, ut nemo posthac purgatorium apud inferos ignem esse negare audeat: nec afflictionibus, quas pœnitentes perpeti in hoc mundo Christi amore solent, uerè maculas peccatorum nostrorum ablui, inficias eat. Id sanè Sanctitati tuæ obiici ab horum temporum hæreticis minimè poterit, quod de quibusdam falso affirmare non dubitarunt: nempe propterea Pontifices purgatorium tutatos esse, ut hac ratione Christianorum pecunias extorquere possent: quando uel bi, qui in meridie cæcutiunt, manu attrectant, tot dispensationes, quæ ad hoc usq; tempus concedi solebant, à te esse neglectas, per quas quingenta millia aureorum in ærarium inferre potuisses. At quo tempore? quum hæc alma Vrbs undiq; obsideretur, bonaq; Ecclesiæ magna ex parte tum ob præteritas necessitates alienata essent, tum etiam in præsentia ab ipsis hostibus occupata. Huic planè testimonio si quis non credat, is ne si mortuos quidem reuiuiscere diuina auctoritate faceres, crederet.

DE PVRGATORIO IGNE

CAPVT PRIMVM.

Lutheranorum argumenta, quibus idiotæ vti ſolent, eorúmque ſolutiones.

PROTESTANS CAMERARIVS.

SCIRE *ex te uelim* Camerari, *num aliquod ſcripturæ teſtimonium aliquando legeris, in quo uocem hanc purgatorij uideris,* CAM. *Alterum ſit de duobus neceſſe eſt, uel ut* Martinum Lutherum *abneges, uel purgatorium ignem ad tempus urentem in inferno eſſe palàm confitearis; quando & ipſe illud credebat, & diſcipulos ſuos, ut crederent, adhortabatur.* PRO. *Simul tamen, minime ſacra ſcriptura id poſſe probari, mordicus contendebat.* CAM. *Credebat interim.* PRO. *Credere potius ſimulabat, ut hac ratione, liberum eſſe non credere, auditoribus ſuaderet.* CAM. *Parum quidem huic captioſæ uulpi hæc eius uerſutia profuit: ſiquidem aperta ſatis teſtimonia in ſcriptura leguntur, quæ purgatorium perſpicue probant.* PRO. *Rectius detorta dixiſſes.* CAM. *Si à Proteſtantibus detorta eſſe ais, recte iudicaſti.* PRO. *Cæteris poſthabitis illa legas, rogo, quæ Proteſtantes ad diluendum argumenta catholicorum in medium produxerunt.* CAM. *Cum minime ſuis manibus haſtas milites fabricentur, & quas à fabri lignarij officina capiunt, haud æquali robore frangant: æquo animo ferre debes, ut à domo Chriſti, tum eas quibus patres noſtri uſi ſunt, tum nouas ego accipiam haſtas: quis enim ſcit, an quodam non uiſo dimicandi modo, illis protentis, ſic ueſtram petulantiam perfringam, ut perpetuum ſilentium ori ueſtro imponam?* PRO. *Si pauca ar-*

gumenta tu prius rectè ſolueris, quæ ad negandum purgatorium animum meum impellunt, non modo patienti, ſed etiam libenti animo te auſcultabo. CAM. Perge. PRO. Si uerè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, † quando ductus in altum captiuam duxit captiuitatem, portans omnia uerbo uirtutis ſuæ, peccatorum purgationem faciens: † Non'ne Chriſti meritis is detrahit, qui purgatorium credit? CAM. Nullo purgatorio igne hi egent, qui ex lauacro regenerationis exeuntes, abſq; peccato diem obeunt: nullo item hi, quibus non modo culpam peccatorum deinde commiſſorum, ſed & pœnam Chriſtus ſpeciali gratia remittere uellet. At hoc diſcrimen inter nos eſt, an pro cæteris peccatis poſt baptiſma commiſſis uelit. PRO. Non'ne ipſum uelle conſtat, ſi perpetuò tanquam aduocatus noſter patrem pro nobis interpellat? † CAM. Nil certè petit, quod contra patris uoluntatem ſit. PRO. Qua in re patri contradiceret? CAM. Iuſtitia Dei exigit, ut is qui poſt baptiſmum peccauit, ſi eum peccaſſe pœniteat, culpa iam remiſſa pœnam peccati det. PRO. Scholarum partitio, culpæ & pœnæ, ſatis uana hæc eſt. CAM. Culpam peccati in Vriam, et Bethſabee commiſſi, remiſſam ei fuiſſe Natan Prophetæ Dauidi nunciauit: † qui deinde, ut pœna condonaretur, in Pſalmo quinquageſimo, contribulato ſpiritu, & corde contrito orauit: nec effugere potuit, quin filius ex Bethſabee natus periret, maximos item ipſe, (ut pœnam ſolueret) ab Abſalone & alijs cruciatus ſuſtineret. † Moyſes præterea tametſi, ut culpa adorationis Vituli remitteretur populo Iſraelitico, obtinuiſſet, † Pœnæ tamen remiſſionem obtinere nequaquam potuit, quam deinde Iſrael ſatis dura ſuſtinuit. † ſed quid uerbis moror? non'ne uos dicitis propterea tribulationes mundi à Domino eſſe inuentas, ut cruciatibus pœnam peccatorum penſitemus? PRO. Falſo'ne Ieſus Latroni dixit, Hodie mecum eris in paradiſo, ut pœna prius non ſoluta in paradi-

Primum argumentũ Hereticorum.

Secundũ argumentum.

† Eſaiæ 53.

† Ephe. 4. Hebr. pri.

† i. Io. 2. Hebr. 7. Rom. 8.

† 2. Reg. ca. 12.

† Vt ſupra Pſal. 118. et in lib. 2. Reg. c. 16. cum ſeq.

† Exod. 32.

† Vt ſup. in ſi.

ſum intraret? CAM. Nemo aliqua purgatione eget, qui martirio dignus eſt: quapropter ille Domini ore audiuit, ſe per omnia mundum eſſe. PRO. Minimè pro Chriſti fide ſuſpenſus fuit. CAM. Fateor: at quia Chriſtum in medio martirij, Dominum redemptorem agnouit, ab eo tanquam pœnitens Chriſtianus, miſericordiam, dum cruciabatur, obtinuit, qui pœnam quoq; in ipſo martirij tempore remittit. † PRO. Occaſionem certe magnam Prophetæ de cura mortuorum loquentes nacti ſunt, ut purgatorij mentionem facerent: eam tamen ob cauſam hoc alioqui neceſſarium opus neglexerunt, quia neq; illis purgatorium hoc quod uos fingitis, reuelatum fuit, neq; illud credebant. hoc enim argumentum ſi ſolueris, multa me conſolatione lenies. CAM. Num quia Deus nomen ſuum Iehouah, neq; Abrahæ, neq; Iacob, neq; Iſaac reuelauit, † propterea reliquis incognitum fuit? PRO. Sanè non, Moyſi enim illud oſtendit. † CAM. Rationem ergo intelligis, cur ſi Prophetæ illud ignoraſſent, (quod tamen negamus) adhuc cæteris reuelari potuerit. PRO. Eſt'ne hoc ferendum, ut id credamus, cuius ſcriptura nunquam meminit? CAM. Vim uerbi huius multis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs iam iamq; oſtendam. † PRO. Nomen hoc purgatorij mihi oſtendi uolo. CAM. Tu prius reſponde mihi, an limbum fuiſſe credas? PRO. Credo. CAM. Notulam hanc limbi tu mihi commonſtra. PRO. Sinum Abrahæ, & id genus ſimilia ſcriptura narrat, per quæ, quid limbus ſit, intelligimus. † CAM. Longe maiora apertioraq; de ipſo purgatorio ſcriptura recenſet. PRO. Cur igitur utrunq; omiſit? CAM. Non me, ſed Deum interroga, quare trinitatis quoq; uocem ſilentio à ſcriptura præteriri permiſerit: cur item tot myſteria in figuris et parabolis concluſerit. Satis quidem eſſe putauit, poſſe electos, hos pretioſos lapides in ſcripturis uelatos inuenire. PRO. Etſi aliquis purgatorium confiteatur, hoc tamen confiteri nunquam poterit, noſtris eleemoſynis, orationibus & ieiunijs quotquot in igne

† Dicemus infra Dial. 2. cap. 1.

Tertium argumentum.

† Exod. cap. 6.

† Vt ſupra.

Quartum argumentum.

† In dialogo iſto, & dial. 2. c. 1.

† Luc. 16.

Quintum argumentum.

illo manent, liberari posse. CAM. Cur non? PRO. Si semel statutum est mori, & post hoc, iudicium, † quis id immutabit, quod irreuocabili decreto sancitum est? CAM. Pœnam ut soluerent iusti, Iesus duntaxat remissa culpa iudicauit, quam per alios solui posse non prohibuit, pro his scilicet, qui in uita id acquisiuerunt, ut uiuorum suffragia eis prodesse possent. † PRO. Quomodo per alios, Paulo dicente, Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala? Audi, propria corporis unusquisq; referat, & tace. CAM. Per proprium corpus gessit, quando in uita eum peccatorum pœnituit, ut suffragia hæc uiuorum, quæ obstinatis minimè prosunt, propria peccata redimere possent, pœnas grauiores per proprium corpus daturus, ubi uiuorum suffragijs in die iudicij purgatus non inueniatur. † Ecce quàm humaniter tua argumenta hactenus audiui, reliquum est ut mea nunc attento animo auscultes, qui non solum innumeris testimonijs hactenus non ponderatis, purgatorium aperte ostendam, uerum etiam uestras exceptiones, quas aduersum ea, quæ proponi solent, affertis, literæ quadrare non posse ostendam. PRO. Petrus Martyr meus collega hic est, quem ante me audiri propter multa satis æquum erit. CAM. Nihil est, æquè quod faciam lubens.

† Hebr. 9.

† Augustin. Enchi. cap. 110. & vbiq;. ij. Cor. 5.

† Augustin. in loco citato. Dicemus latius in dialogo. 2. cap. 3. authoritate. eccle. 7. & 38.

CAPVT SECVNDVM.

Pauli auctoritate cap. iij. 1. ad Corinthios, ignis purgatorius probatur.

Argumentū primum pro purgatorio

Oteris Petre Martyr, siqua tibi occurrunt, in medium producere. PET. Tuum potius est, catholicorum argumenta ordine recensere. CAM. Hæc Pauli uerba sunt. [Si quis autem superædificauerit

supra

ſupra fundamentum hoc Chriſti, *aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, uniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit.* Dies Domini *declarabit, quia in igne reuelabitur, & uniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet.* Si cuius opus arſerit, *detrimentum patietur, ipſe tamen ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*]* † Quid clarius ò Petre Martyr *ad probandum purgatorium ignem in medium proferre potero?* PET. Sapientior Ambroſio *& cæteris tu es, qui ex illo textu hoc hauriri poſſe negant?* CAM. Communi Patrum *opinioni ſubſcribo, quibus placuit in illo contextu purgatorium apertiſſime probari, tu uerò ſi quid habes, in medium prome.* PET. *Sapiunt illi, & bene ſibi conſulunt, qui pretioſa ædificant (*Paulus inquit*) hi ſunt ſacræ ſcripturæ authores.* CAM. *Reliquorum ergo* Paulus *non meminit, qui in uita bona opera faciunt?* PET. *Solius doctrinæ* Paulus *meminit, ut ex hac materiæ diuerſitate, argenti, auri, lapidis pretioſi, gradus indicaret, quibus in doctrina* Chriſtus *magis minus ue delineatur, exprimitur ac illuſtratur, quemadmodum uiciſſim lignum, fœnum, ſtipulam, doctrinis alienis* Chriſtum *magis minus ue deformari, atque dehoneſtari declarant, non quidem aliud* Paulus *ibi agit, q; ut ueram euangelij, uel falſam doctrinam oſtendat.* CAM. *Neq; Epiſtolæ methodum, neq; quid* Paulus *hoc loco agat, neq; eius uerba intellexiſſe uideris.* PET. *Quæ epiſtolæ methodus?* CAM. *Auguſtinum lege, qui optime uerba hæc explanat.*† PET. *Quid tu ſentias audire opto.* CAM. *Cum eam ob cauſam, ut ſectas introductas excluderet, malos* Corinthiorum *mores dudum* Paulus *correxiſſet; ac* Dei *dona ex parte enarraſſet: falſamq; Philoſophorum doctrinam excluſiſſet: ac deniq; non aliud fundamentum, quàm* Chriſtum *nos poſſe ponere ſubiunxiſſet: hoc loco tres qualitates hominum diſtinguit.* Primam *illorum, qui opera ſua ſupra* Chriſti

1. Cor. 3.

† De fid. et ope. cap. 15. & ib. Enchi. c. 68. de 8. quæſt. q. 1. i ſerm. de mortu. ſer. 4.

fundamentum ædificata, sic purgata habent, ut nulla purgatione egeant: quos hac metaphora auri, argenti, lapidisq; pretiosi ostendit omnino absq; ullo detrimento saluandos. Secundum illorum, qui opera supra fundamentum Christi ædificata possident, ipsi tamen ex parte purgandi sunt, † quos per ligna, fœnum, stipulam demonstrauit: salutemq; eis cum aliquo tamen detrimento promisit, ut sic quasi per ignem salui fiant. Tertiam deniq; illorum, qui nil supra Christi fundamentum ædificatum tenent: quos æterno igni destinatos esse prænunciat, cum ait: Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? si quis autem templum Dei uiolauerit, disperdet illum Deus. Sed quid si citra ueritatis præiudicium fatear, de his qui uel concionando, uel scribendo, uel disputando, scripturas aut illustrant, aut deprauant, Paulum intellexisse? non ne adhuc tres cohortes faciendæ essent, ut prima illorum sit, qui supra fundamentum Christi ædificant, nullam maculam habentes, siquidem rectè hæc omnia egerunt, quos in uerbis auri, argenti, lapidisq; tu comprehendi fateris. Secunda illorum, qui itidem supra fundamentum Christi ædificarunt, non tamen absque aliqua macula purganda ædificant, dum multi cum aliqua inani gloria, quæ ueniale peccatum sit, aut concionantur, aut scribunt, aut disputant, quos in illis uocibus, ligna, fœnum, stipula contineri constat. Tertia illorum, qui scripturam deprauantes templum Dei uiolant: quos Deus disperdet, uti paulò post de ipsis Philosophis scripturam deprauantibus Paulus subiungit. PET. Hunc igitur in modum intelligantur. CAM. Si ita intelliguntur, non ne hi omnes, uel concionando, uel scribendo, uel disputando operantur? PET. Maximè. CAM. Opus ergo bonum uel malum Paulus considerat. PET. Dem hoc. CAM. Exprimit ne Paulus quale opus sit, ut speciatim de uno opere loquatur? PET. Generalibus uerbis utitur, uniuscuiusque opus manifestum erit, uniusq;

† Enchi. 68.

cuiusq; opus, quale sit, ignis probabit. CAM. Non igitur de uno opere maculato, sed potius de omni opere intellexit. Quòd si de omni opere supra Christi fundamentum cum aliqua macula ædificato sensit, cur de ipsa explanatione scripturarum Paulum duntaxat sensisse, non autem de bonis uel malis nostris operibus egisse tu mordicus contendis? tres nanq; Paulus ostendit cohortes, quarum pars una nullo modo ardet. Secunda ad tempus exuritur. Tertia uerò disperditur. PET. Non contradico. CAM. Mecum itaque conclude, si omnino errare non uis, per aurum purum, maiora bona opera, si qua sint, Paulum intellexisse: per argentum media; per lapides infima super Christi fundamentum ædificata: quæ omnia nulla purgatione egent. Per ligna, fœnum, stipulam, tam ipsa peccata uenialia, maiora, media, infima, quæ purganda sunt: † quàm mortalium peccatorum pœnas, quas remissa culpa soluere obstringimur, ut maiores, uel minores, uel minimas demus, sicuti parabola à Paulo proposita per ligna, quæ diutius, per fœnum quod minus diu, & per stipulam, quæ exiguo tempore ardet, persticue ostendit.

† Aug. Enchi. c. 68.

CAPITIS SECVNDI §I.

Explanatio uerborum Pauli.

PETRVS MARTYR. CAMERARIVS.

NEMO quidem Pauli sensum ipso Paulo apertius explicare poterit, cuius uerba hæc sunt ⸢uniuscuiusq; opus manifestum erit, dies declarabit, quia in igne reuelabitur: & cuiusq; opus quale sit, ignis probabit⸣ CAM. Quem tu sensum his uerbis accommodas?

¶ Dies. PET. Tres uoces hæ ſunt, Dies, ignis, probatio. CAM. Singulas igitur ſingillatim enucleemus. PET. Per diem, lucem ſpiritus ſancti oſtendi cenſeo, qui ſcripturas aperit, menteſq; noſtras illuminat. CAM. quanquam omnis dies, Domini dies eſt: diem, addita uoce domini, pro die iudicij ſcriptura uſurpat, † illam inquam, quam diem magnam Sophonias uocat. † PET. In græca editione, uocem, Domini, non legimus. CAM. Quid ad nos, qui uulgatam latinam ſequi debemus? Num fortaſſe cum illis erras, qui editionem uulgatam, ſimplicem deſcriptionem è Græca eſſe, non autem à Spiritu ſancto per incognitum hominem eam nos habere autumant? † At quid ſi ita eſſet? quid editio uulgata addidiſſet? non ne illud, quod neceſſariò, ſiue pro die, ſiue pro luce intelligeretur, ſubaudiendum erat, ſi quidem & dies Domini, & lux Domini, non alterius eſſet? PET. Per diem lucem ego intelligo: per ignem, tribulationes; per probationem ipſam, uexationem, quæ dat intellectum. CAM. Si per diem, ipſam spiritus ſancti reuelationem Paulus intellexiſſet, fruſtra ignem, qui per tribulationes dat intellectum, tanquam cauſam ſtatim addidiſſet. PET. Addendus modus erat, quo Spiritus ſanctus id declararet, nempe quia in igne, id eſt tribulationibus mundi, iſtuc conſummaretur, ſicut ſcriptum eſt, uexatio dat intellectum. † CAM. Num extra tribulationes, Dei ſpiritus uerum ſenſum nobis non declarat? ut falſo Propheta dixerit, ſermo dat intellectum. † Num hi qui in probatione ſunt, aurum, argentum, & lapidem pretioſum habentes, hi inquam qui martyrio coronantur, in igne iſto non probantur? ſicut litera dicit. Vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit: † qui enim dixit uniuſcuiuſq;, neminem excluſit. Cæterum quid Paulus ait? num ut in tempore iſto opus ſuum unuſquiſq; in igne tribulationis cognoſcat? minimè, quin potius, ut uniuſcuiuſq; opus ſic reueletur, ut cæteris bona & mala opera omnium ſatis aperta ſint, dum quidam nullo modo, quis-

† Auguſt. ſuper Apo. Hom. 13.

† Cap. primo.

† Vide in altero libello noſtro de vera eccle. Dei Dialo. 2.

† Eſai. 28.

† Pſal. 118.

† 1. Cor. 3.

dam ad tempus, quidam perpetuo ardebunt. Deniq; uis unico argumento tibi oſtendam, fieri non poſſe Paulum de igne tribulationum ſenſiſſe? PET. Matura. CAM. Dic amabo, an in hoc igne, aurum, argentum, lapides: itidem & ligna, fœnum, ſtipula, omnia probentur? PET. Omnia. CAM. Reſponde rurſum, an æquali modo ambo probentur? PET. Inæquali, ſi quidem qui aurum, argentum, lapides habent; abſq; ullo detrimento mercedem ſalutis æternæ accipient: qui uerò ligna, fœnum, ſtipulam, detrimentum patientur: ſalui tamen erunt, ſic tamen, quaſi per ignem. CAM. De igne igitur tribulationis minimè Paulus loquitur. PET. Quam ob rem? CAM. Quia in igne tribulationum mundi, utriq; ex æquo ardent: horum autem unus detrimentum patitur, alter uero abſq; detrimento mercedem accipit. Hoc enim argumentum Petre Martyr ori tuo frenum imponit, ne deinceps de igne tribulationis Paulum locutum eſſe dicas. PET. Magnus hic error tuus eſt, dum eodem modo, iuſtos & iniuſtos cruciari in ipſis mundi tribulationibus cenſes. CAM. Quid cauſæ? PET. Quoniam iniuſtis minimè cum iuſtis dicere fas eſt. Qui conſolatur humiles, conſolatur et nos, † excipientes uerbum in tribulatione cum gaudio Spiritus ſancti†. Rurſum, abundantia gaudy illorum fuit, † ut caſtigati, non mortificati, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. † Cum enim omnino iuſtus affligitur, & lucrum mori pro Chriſto exiſtimat, † ſola caro affligitur, nullumq; ſpeciale detrimentum intrinſecus patitur: ille uerò, cuius opus ardet, ſpiritu quoq; affligitur. Hinc planè Dauid in medio tribulationis, quam propter ſua peccata ſuſtinebat, in hæc uerba prorupit, Dediſti lætitiam in corde meo, à fructu frumenti, uini, & olei ſui. † & alio in loco, Circundediſti me lætitia. † & cum in domo confuſionis eſſet, dixit, In uia teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs. † CAM. Voces certè querulas eiuſdem in medio afflictionum audimus.

2. Cor. 7.
† 1. Theſſ. 1.
† 2. Cor. 8.
† 2. Cor. 6.
† Philip. 1.
† Pſa. 4.
† Pſal. 39.
† Pſal. 118.

PET. Quando iniustus erat, mens & caro simul dolebant: Cum uerò iustus, in sola carne affligebatur, interea dum mente gaudebat. CAM. Vnde partitionem hanc hauris? PET. Quid habes quod contra hoc afferas? CAM. Perpetuò Christum iustum fuisse constat; absque originali peccato natum: cuius caro idem quod mens perpetuò sic uoluit, ut minime in eo hæc mentis & carnis distinctio admitti possit: & tamen ante crucem uerba sequentia locutus fuit: Dico uobis, quoniam adhuc quod scriptum est, oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est, etenim quæ sunt de me, finem habent. Deinde uerò cœpit contristari & mœstus esse, inquiens, tristis est anima mea usque ad mortem. & non dixit triste est corpus meum, & progressus pusillum, orauit dicens: Pater, si uis, transfer calicem istum à me, uerum tamen non mea, sed tua uoluntas fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum, et nihilominus factus in agonia prolixius orabat: & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. † Suspensus autem in cruce totus homo dixit, Deus deus meus cur dereliquisti me. † †Matth. 26. †Luc. 22.

PET. Cur igitur Paulus horum gaudiorum in medio tribulationum, itidem Dauid & alij meminerunt? CAM. Stant simul cruciatus, qui carni extrinsecus admouentur, & intrinsecus quoq; affligunt, cum gaudio à spiritu sancto immisso, ut systole & dyastole, quarum altera cor deprimit, altera attollit, Paulo teste, cum ait, In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: humiliamur, sed non confundimur: deijcimur, sed non perimus. † Gaudet nanq; iustus, non quia patitur, sed quia propter Christum patitur; quæ duo simul in spiritu considerari possunt: ut tametsi de propria iactura quispiam doleat, quia tamen propter Christum fit, simul gaudeat. Responde nunc, si potes. †2. Cor. 4.

PET. Negas igitur ignem tribulationum posse sub his uerbis Pauli

comprehendi? CAM. Igne tribulationum peccata purgari posse cum Augustino fateor. † scriptum est enim, uasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. † de illo autem Paulum esse loquutum, nego. PET. Non'ne totus metaphoris Paulus hoc loco refertus est? CAM. Multis metaphoris Paulus usus est, ergo omnia ad metaphoras trahenda sunt, nil ualet consequentia ista; nam & de Christi fundamento agit, quod metaphorice intelligi non potest.

† Enchi. c. 68.
† Eccle. 27.

CAPITIS SECVNDI § II.

Reliquorum uerborum Pauli explicatio.

PETRVS MARTYR. CAMERARIVS.

Nosti Camerari, quid sit opus manens mercedem accipere, opus uerò exuri, detrimentum pati, atque saluari, sic tamen quasi per ignem? CAM. Permanet enim quod quisq; cogitat secundum Deum (Augustinus inquit) cætera uerò ardent, quod est opus, manere, ob quod mercedem salutis æternæ à Dei misericordia iusti consequuntur. Exuruntur autem cætera, quæ uel secundum Deum non sunt, uenialia scilicet, uel siqua ad pœnam peccatorum mortalium attinent, † quæ Deus non fecit, sed pœnã eorum præparauit, † quod est detrimentum pati, donec omnibus exustis purgata anima, ob ea opera, quæ secundum Deum supra Christi fundamentum ædificauit, ipse quoq; saluetur, sic tamen quasi per ignem. PET. Laurentio Vallæ & Erasmo tu subscribis, ut propter uocem quasi, omnia improprie intelligantur? CAM. Notulam quasi, improprietatis signum esse fateor, & simul in quo ipsa improprietas consistat, hos Grammaticos ignorasse addo. PET. Age ut tuo ex ore hoc audiam. CAM. Tu prius; si qua hac in re Protestan-

† Aug. Ench. ca. 68. & de fid. & oper. c. 15. 16.
† Aug. de gene. ad lit. li. 2. c. 9. & in lib. sent. sent. 379. de ciuit. Dei lib. 11 cap. 18.

res considerant, in medium afferto. PET. Minimè in Græca editione saluabitur, sed seruabitur, legimus. CAM. Ecce quantum commodi uestræ græcissationes uobis afferunt: non'ne saluatur id quod à domino seruatur, seruatur item quod saluatur? PET. Addunt aliqui improprietatem uocis, quasi, hoc modo intelligi, nempe quia aliquid ab inferni igne diminutum erit in isto igne, in quo ardebunt. CAM. Si hoc in igne diminuto, uti ipsi imaginantur, hi exuruntur, qui quasi per ignem salui fiunt, sua confessione purgatorium ignem ab inferni igne distinctum statuunt. PET. Quid tu sentias expecto. CAM. Memorem uerborum illorum Pauli te esse reor, Non sunt condignæ passiones nostræ, mundi huius, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. † PET. In memoria habeo. CAM. Finge nunc Paulum audire dicentem, existimo nec etiam comprehenso igne, in quo maculæ peccatorum nostrorum exuruntur, passiones nostras condignas esse ad futuram gloriam. Verum enim uero quia Dei misericordia eum, qui detrimentum in igne isto patietur, saluare uult; saluus erit, [sic tamen quasi per ignem] hoc est, non absq; igne, quem Deus elegit ut hoc modo saluetur, suam iustitiam ostendens: non ex igne, qui sufficiens non est ad futuram gloriam, si quidem misericordia principaliter, & secundo propter iustitiam coronamur: sed quasi per ignem saluabuntur: quasi dicat, postquàm neq; per ignem, neq; sine igne, qui eiusmodi homines sunt, æternam salutem consequuutur, quasi per ignem saluabuntur. Hæc planè improprietatis nota est, his duobus rhetoribus, & tibi occulta. PET. Aliter Augustinus uerba hæc explanat

† Rom. 8.

¶ Ignis conflagrationis.

† CAM. Quid impedit quin Augustinum approbantes nouum sensum, qui literæ magis congruat, afferamus? PET. Satius quidem esse censeo, ut posthabitis his, quæ tot difficultates in se continent, Martinum Lutherum sequamur, cui placuit de igne conflagrationis Paulum sensisse. CAM. Absit. PET. Cur non? CAM. Quoniam

† Ench. c. 68. de fide et ope. cap. 15. & 16. Et Psal. 29. Serm.

ignis

ignis ille ante ipsum præcedet, ut clementa mundentur. Vocem præterea Domini præcedet, cum dicet, surgite mortui, uenite ad iudicium, qua audita corpora resurgent, ut ipsa quoq; in igne, si oportet, ardeant. † quod in igne conflagrationis consumari non posset. Rursum ignis ille conflagrationis iustorum atque iniustorum corpora exuret. † In hoc autem igne, cuius Paulus meminit, neq; omnino iusti ardebunt, neq; impij, qui in ignem æternum immittentur, sed hi duntaxat ad tempus exurentur, qui supra fundamentum Christi ædificarunt, aliquas habentes maculas, quæ purgandæ sunt. Deniq;, quia si ille ignis expectandus esset, nemo ante diem illam in regnum cœlorum intrare posset, & hoc credere hæreticum esse, Domini ore audiuimus, qui latroni dixit, Hodie mecum eris in paradiso. † PET. Censes ergo omnino iustos in ignem illum non intraturos? CAM. Siue non intrent, sed Catharinæ exemplo coram rota probatæ maneant: siue intrent, & cum Sidrach, Misach, & Abdenago non ardeant, parui refert: sat est, ut eodem igne omnes probentur, qui à dextris manent, in ignem uerò æternum reliqui immitantur, qui à sinistris stant. † PRO. Si moriendo seminatur id quod est mortale, resurgendo uerò id resurgit quod est spirituale, † qua ratione corpus spirituale poterit affligi? CAM. Aut quæris an corpora illa cuius spiritus iam purgati sunt, an exuri debeant, & hoc Augustinus negauit, cuius uerba sic habent, Tales etiam constat ante iudicij diem per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur purgatos, receptis corporibus æterni ignis supplicijs non tradendos. † belle inuens animarum purgationem corporibus prodesse, quæ si abest, utrunque purgandum est, ut spirituale corpus, summota omni fœditate † per omnia dicatur, nec deinde pati possit.

† Aug. in hom. de sanctis de aïab. fidelium de su. ser. 4.

† Tho. 4. sent. dist. 47. in fi. ibi. ad secundã quæstionem.

† Luc. 23.

† Aug. Enchi. c. 68.

† 1. Cor. 15.

† De Ciuit. Dei lib. 21. c. 34.

† Aug. de Ciui. Dei lib. 22. ca. 19.

CAPVT TERTIVM.

Altero Pauli teſtimonio Purgatorium probatur.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

ALTERO Pauli telo uos Proteſtantes feriam, quo in cor ueſtrum immiſſo, purgatorium ignem negare deinceps nequeatis. Sic enim Paulus inquit: [Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium, quorundam, & ſubſequuntur. Similiter & facta bona manifeſta ſunt, & quæ aliter habent, abſcondi non poſſunt.] † PRO. Ne unum quidem uerbum, quod purgatorium probet, in his Pauli uerbis legimus. † 1. Thimo. 5.

CAM. Quid putas Paulum dicere uoluiſſe? PRO. Non quidem aliud agit, q; ut modum oſtendat, quo peccata in Eccleſia plus minus ue puniantur. CAM. De ipſa quoque die iudicij obiter Paulus egit, etenim cum ea omnia narraſſet, quæ ad rectum uiuendi modum ipſi eccleſiæ neceſſaria ſunt, deinde uerba hæc ſubiunxit, belle docens, non eſſe eccleſiæ officium, ſed ſolius Dei, de occultis in die iudicij iudicare. PRO. Nil horum Paulus aſſerit. CAM. Rogabo te, priuſquam uerba ipſa Pauli explicem, an omnes hi, qui ad iudicium uenient, idcirco ueniant, ut in die illa iudicentur? PRO. Iudicium condemnationis in hora mortis fit, ſicut ſcriptum eſt: ſemel ſtatutum eſt mori, et poſt hoc iudicium. † CAM. Omnes tamen uenient ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; propria corporis, quæ geſſit ſiue bona, ſiue mala. PRO. Venient quidem tam omnino iuſti, q; omnino mali, non tamen ut in die illa meritorum, uel demeritorum diſcuſſio fiat. Ioannes enim inquit: Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt. † Et alio in loco: Qui uerbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, † Hebr. 9. † Io. 3.

habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, ſed tranſit à morte in uitam. † De omnino autem malis Prophetа dixit, Impij non reſurgunt in iudicio. † quaſi à morte in mortem reſurgant. CAM. Aderunt in iudicio? PRO. Omnino. CAM. Ad quid, ſi iudicio diſcuſſionis non iudicantur? PRO. Quoniam duo ad ipſam diem iudicij pertinent: alterum diſcuſſio (ut aiunt) meritorum uel demeritorum, quæ iam facta eſt, proindeq; iterum non fiet: alterum retributionis meritorum uel præmiorum, quæ facta non ſunt: & hæc poſtrema, ut poſt corporum reſurrectionem fiant, in iudicium ueniunt. CAM. Qui ſunt igitur illi, qui iudicio diſcuſſionis iudicabuntur? PRO. Quò tendas, iam uideo, conaris planè mihi perſuadere, ut cum Scholaſticis dicam, illos iudicio diſcuſſionis iudicandos fore, qui mala, & bona opera ſimul habebunt: ut diuinæ iuſtitiæ modum intueamur, quem in ipſo iudicio Deus ſeruat: ita ut tres cohortes faciendæ ſint: prima eorum, qui omnino boni ſunt, altera omnino malorum, tertia eorum qui miſta opera habent: quod poſtremum nos negamus. CAM. Paulum ergo negatis, qui in his uerbis, quæ explicaturi ſumus, tres cohortes has apertiſſimè oſtendit. Cum enim dixit [Quorundam peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium: quorundam et ſubſequuntur] hanc poſtremam cohortem habentium opera miſta oſtendit. Cum uerò ait [ſimiliter & facta bona manifeſta ſunt] omnino bonos cõmonſtrauit. Deinde uerò cum addit [& quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt] omnino malos demonſtrat, quorum quiſq; peccata ſua in fronte ſcripta habebit. PRO. Sint tres, quid tum deinde? num hac uia purgatorium probabis? CAM. Dic amabo, cur Paulus præcedere uel ſequi opera ponderat? PRO. Paulum interroga. CAM. Non quidem aliam ob cauſam ſic loquitur, niſi ut oſtendat hæc miſta opera, ſi plus mali q; boni retineant, rigore iudicari: Si uerò plus boni, cum æquitate puniri, opus hoc miſtum ab eo, quod præ-

† Io. 5.

cedit denominans; sic enim iurisconsulti, con duo senatusconsulta edita fuissent, quorum alterum Macedonianum, alterum Velleianum nominarunt, Macedonianum eam ob causam odiosum esse dixerunt, quia principaliter odio fœneratorum promulgatum fuit, qui filys familias pecunias fœnori dabant: & secundò in fauorem filiorum familias, ac patrum, ne hac uia depauperarentur. Ex diuerso uerò Velleianum, quod principaliter in fauorem mulierum factum fuit, inhibens ne pro uiris fidiubere possent: & secundo, odio fœneratarum, qui illarum obligationem requirebant, fauorabile dixerunt, quanuis utrunque mistum esset: initium enim uniuscuiusq; intuebantur. PRO. Sit ita. CAM. Si ita hæc se habent, & omnino iusti, nil mali habentes, omnino item mali nil boni retinentes, in iudicium non uenient: non ne apertè patet tertiam dari cohortem, quæ bona & mala (ut dictum est) habeat? PRO. Dem hoc. CAM. Hoc concesso, eam ob causam purgatorium perspicuè Paulus his uerbis ostendit, quia si neq; hi, qui in cœlo sunt omnino boni, neque hi qui in inferno manent omnino mali in iudicium, ut iudicentur, ueniunt: tertium dari locum necesse est, in quo animæ die illa, uel rigoroso uel æquo iudicio iudicandæ, usque ad illud tempus maneant.

CAPVT QVARTVM.

Pauli testimonio altero purgatorium stabilitur.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

SCIRE ex te uelim, quid Paulus intellexit quando dixit, [alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid

† 1. ad Cor. 15. & baptizantur pro illis?] † PRO. Anabaptistas hac in re interroga, non autem nos Protestantes, qui unam fidem, unumq; baptisma clara uoce confitemur. CAM. Ea saltem, quæ Protestantes sentiunt, in medium prome. PRO. Cur nostros sensus tu scire uis, qui Caietanum apprime doctum habes, præter cæteros quæstionem hanc fusissime disserentem? CAM. Poterat certe Caietanus illos sensus, quos patres nostri ante ipsum literæ applicarunt, expressis eorum nominibus & uerbis recensere: non autem, ut omnia ex sua officina promanare uiderentur, adeo obscure, & absque ulla methodo loqui, ut nec se ipsum intellexerit. PRO. Quid igitur agendum? CAM. Personam tu Patrum gerens originalia eorum uerba proponere poteris, ut uicissim loquentes rem hanc difficilem, faciliorem nostris ratiocinationibus reddamus. PRO. Hæc Ambrosij uerba sunt. [In tantum ratam ac stabilem uult ostendere resurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem forte mors præuenisset, timentes ne aut male, aut non resurgeret, aut qui baptizatus non fuerat, unius nomine mortui fingebatur, unde subiecit. Quid & baptizantur pro illis? Exemplo hoc, non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit] CAM. Miror equidem Ambrosium, qui ueros sensus literæ perpetuo nos docet, adeo confuse nunc loqui: nam neque modum, quo pro mortuis baptizabantur, narrat; neque mentionem aliquam huiusce rei in illa epistola Paulum non fecisse, nec facere potuisse, animaduertit: si quidem Marcion longè post illud tempus inuenit, ut uiui pro mortuis baptizarentur. PRO. Quæ uerba illi dicebant. CAM. Cum quis apud ipsos initiatus moriebatur, unum alium sub mortui lecto recondebant, mortuum circunstabant, alloquebantur, rogabant, uellet ne baptizari? Deinde cum nihil responde-

¶ Ambrosius.

¶ Modus baptizandi pro mortuis quo hæretici vtebantur.

bat, is qui ſubtus latebat, pro illo reſpondebat, baptizari uelle: eum deinceps pro mortuo baptizabant, ſed quemadmodum in ſcena fieri ſolet, ludentes: † PRO. O quam magnum delirium inuenerunt: ad rem quæſo redeamus. CAM. Animaduertamus in primis Pauli uerba hoc non dicere, quod Ambroſius aſſerit, nempe ut fidem commendauerit, alterum uerò rebaptizationis increpauerit. PRO. Caietano ſubſcribis? qui ſic ait: Aut enim baptiſmus iſte pro mortuis à Paulo improbatur; & tunc, quo modo baptiſma eſt uanum, eodem & ſpes eorum, ex hoc uano baptiſmate reſultans, uana. Si uero baptiſmus approbatur, num duo baptiſmata, non autem unum eſſe confitebimur? CAM. Cæteros audiamus doctores neceſſe eſt, qui diuerſos ſenſus literæ accommodant. PRO. Chryſoſtomi opinionem tacito authore ipſe affert, qui uerba Pauli hunc in modum interpretatus eſt: [ut quid pro mortuis baptizantur?] id eſt, ut quid pro mortuis peccatis baptizantur? iuxta illud Pauli. Sanguis Chriſti emundabit ab operibus mortuis, † nimirum peccatis: [ſi mortui] homines [non reſurgunt?] CAM. Approbat ipſe ſenſum hunc? PRO. Minime. CAM. Quid cauſæ? PRO. Propter æquiuocationem uocis mortis, quæ inter reſurrectionem à morte peccatorum, & reſurrectionem à morte hominum, ludere quodammodo uidetur. Rurſum, quia à peccatis ſpiritualiter reſurgimus, à mortuis autem uerè ipſa caro reſurgit, quanuis iuſtorum corpora ſpiritualia efficiantur. † CAM. Nil aliud affert? PRO. Alio modo uerba hæc interpretari poſſe tacito Chryſoſtomo Caietanus addit, nempe ut dicamus [ut quid baptizantur pro mortuis] hoc eſt, ut quid ſymbolum ore confitentur, in quo Apoſtoli pro eccleſia dicunt, Credo reſurrectionem mortuorum, ſi mortui non reſurgunt? quaſi uel ſymbolum negare debeant, uel ea credere, quæ in illo continentur, atq; ipſi confitentur: quam opinionem ea præſertim ratione improbat, quòd multas im-

† Chryſoſtomus.

† Chryſ. in loco illo.

† Ephe. 9.

† 1. Cor. c. 15.

proprietates contineat, quæ legentium animos perturbare possent. CAM. Quænam istæ improprietates sunt? PRO. Nam si eam ob causam dicerentur baptizari pro mortuis, quia baptizantur profitendo resurrectionem mortuorum, similiter potest dici, baptizantur pro trinitate, quia baptizantur profitendo trinitatem. CAM. Chrysostomi opinio hæc, præter ista quæ Caietanus obseruat, duabus rationibus integra non est. Altera, quia personam illius, qui baptizatur, duntaxat comprehendit, nil in persona mortui ponens, qui post mortem credere non potest. Altera, quia Pauli uerba non explanat, quomodo fieri possit, ut in futurum ritè rectèq; absque culpa rebaptizationis, & pro se & pro mortuis quispiam baptizari possit. Caietani itaque opinionem audiamus. PRO. Præsupponit ipse cum eodem Chrysostomo, in omni nostro baptismate factum quoddam sepulturæ & resurrectionis Christi repræsentari: & quomodo Christus mortuus est, sepultus, & resurrexit; itidem & nos Christo crucifigamur, hoc est in lauacro submersi moriamur, deinde uerò resurgamus. † CAM. Rectè hæc contemplatus est Caietanus: sumpta occasione ex his, quæ Hieronymus ante eum dixit, cum hæc uerba Pauli explicauit. PRO. Quid Hieronymo placuit? CAM. Vt non solum propter remissionem peccatorum baptizemur, dum multa in hoc mundo post aquæ baptismum peccata patramus: uerum etiam propter resurrectionem carnis nostræ: siquidem anima diuersos cruciatus patiendo, non moritur, sed caro quodammodo mori uidetur, quam propterea mortuam Paulus appellat, ut liberata, corpus quodammodo resurrexisse dicatur. PRO. Ab hac Hieronymi opinione te abhorrere puto. CAM. Vnum Hieronymus considerauit passionem scilicet nostram, dum & alia considerandu erant, sicuti paulò post intelliges. PRO. His præfatis Caietanus uolens ostendere Apostolum minimè à fide, aut spe, aut ex uerbis istorum, qui baptizabantur pro mortuis, argumentari

¶ Caietanus.

† Colo. 2.

uoluisse, sed potius ex facto, hoc est, ex quadam historia facti argumentum formare, sic ait. ⸢Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis.⸣ hoc factum mortis & resurrectionis paulò ante enarratum cum baptizantur præsupponentes, nempe ut cum Christo moriantur, & resurgant: ⸢si resurrectio mortuorum non est?⸣ duas nanq; repræsentant mortes, duas item resurrectiones: Christi nimirum, qui naturaliter mortuus & sepultus est, ac uerè in carne resurrexit: hominis item, qui spiritualiter moritur, sepelitur & resurgit: ita ut cum Paulus inquit, ⸢Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis⸣ explanare hæc uerba debeamus, idest in persona mortuorum: ⸢si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro mortuis?⸣ hoc est personas illorum agunt, dum baptizantur: quandoquidem sic baptizamur pro mortuis, sicut in ludis scenicis quidam agunt fortes, quidam modestos, quidam mortuos, qui dicuntur pro mortuis operari. Ex tali itaque baptismi ritu, quo hi, qui baptizantur, personam mortuorum agunt, ad similitudinem Christi mortui, & consequenter personam resurgentium ad similitudinem Christi resurgentis, argumentum Apostolum sumpsisse intelligendum est. Non quidem absque mysterio rursum coniunctionem, & addit, inquiens ⸢ut quid & baptizantur?⸣ quasi dicat, ut quid non solum baptizantur, sed & baptizantur pro illis, id est personam mortuorum gestantes: non secus ac si diceret, ut quid tali ritu personam mortuorum & resurgentium assumunt, cum baptizantur? CAM. Amphibologica hæc Caietani uerba sunt, quæ si hunc sensum habeant, nempe eum, qui rectè semel pro seipso baptizatur, mortem & resurrectionem Christi, sonul & suam repræsentare, non contradico. Sed hoc Paulum isto in loco dixisse, nego. non quidem uerbis contextus hæc sua opinio quadrat, quæ easdem æquiuocationes in se habet mortis naturalis, sepulturæ & resurrectionis Christi, & mortis spiritualis, sepulturæ & resur-

rectionis

rectionis hominis, quas paulò ante ipse alijs contradicens excluſit. Si uerò intelligat tunc pro mortuis baptizari, quando in lauacro regenerantur, hoc eſt ut tunc & Chriſti et aliorum, qui mortui ſunt & reſurgent, perſonas repræſentent, hoc ego non legi, ut aliorum quoq; perſonas, cum baptizamur, repræſentemus. Si autem factum illorum conſiderat, qui baptizabantur pro mortuis, quaſi illud à Paulo neq; approbetur, neq; improbetur, adhuc omnia eidem Caietano obſtarent, quæ ipſe contra Ambroſium & Chryſoſtomum ponderat. PRO. Conſiderauit fortaſſe Caietanus, uoces illas, pro mortuis, perſonas eorum qui baptizantur, oſtendere: ut Paulus dixerit, ſi quaſi mortui ipſi baptizantur, ut deinde ipſi reſurgant, ut quid ſic baptizantur, ſi mortui non reſurgunt? CAM. Minimè uerbis Pauli ſenſus iſte congrueret, qui non modo dixit, [alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis] ſed mox addidit, [ut quid & baptizantur pro illis?] quod aliud dicere eſt, quàm illorum factum conſiderare: nam duo Paulus his uerbis declarat, alterum ut baptizentur pro ſeipſis, alterum ut baptizentur & pro illis qui mortui ſunt, quaſi & pro ſeipſis & pro illis baptizentur, & duo ſint baptiſmata, non unum. hoc enim Chryſoſtomo quoq; & Hieronymo obſtat, dum in proprio baptiſmate pro mortuis, illis modis, quos inuenerunt, noſmet ipſos baptizari pro mortuis conſiderant. PRO. Quid præter ea quæ dicta ſunt, in medium afferre potero? noluit Paulus intelligi, non intelligatur, CAM. Non quidem abbreuiata manus Domini eſt, ut reſipiſcere poſſis.

CAPITIS QVARTI §I.

Verus uerborum Pauli intellectus.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

QVid tu ſentias expecto. CAM. Dicam principio bona uenia Ambroſij patris noſtri, me iſto in loco non uide re unde ille hau-

riat, alterum Paulum improbasse, nimirum rebaptizationem: alterũ approbasse, dum aliquo modo resurrectionem mortuorum sperabãt; si quidem de sola resurrectione mortuorum quæstio erat, nec uerbũ de ipsa rebaptizatione in tota illa epistola legimus; quo fit ut potius id Paulus Corinthys scribat, quo ipsi tanq; re permissa ad probandũ resurrectionem mortuorũ utantur, q; quòd baptisma non permissum in medium promat. PRO. Necessariò sic dicere Ambrosius cogitur, ne Paulum rebaptizationem approbasse uideatur. CAM. Nullam rebaptizationis culpam eos incurrere, qui talia agunt, iam iam intelliges. Porrò qua ratione hæc duo, quæ Paulus in futurum tanq; licita protraxit, inquiens [Alioqui quid facient] ad præteritum Ambrosius trahere potuit, ut quod factum est Paulus reprehendat? Non quidem Paulus, si secundum Ambrosij sensum uerba illa enucleanda erunt ut præteritum factum increpet, generalem regulam Corinthijs, ex hac baptismi forma tradidisset: sed potius illos, qui male baptizabantur pro mortuis, increpasset. Et hoc quidem ad hominem (ut aiunt) argumentari esset, debilissimoq; argumento resurrectionem mortuorum probare, quam Corinthys ostendere uolebat, si ab improbato baptismate ueram illorum spem & fidem ostendere uellet: Operæ itaq; pretium erit modum inuenire, ut duo sint baptismata à scriptura simul approbata, nec rebaptizari dicantur hi, qui baptismo lauacri hoc alterum baptisma addunt. PRO. Claudio placuit, ut sic uerba ista explicemus: [Quid facient qui baptizantur pro mortuis] id est pro asserta mortuorum resurrectione? & qui pro illius articuli defensione, non dubitauerunt subire martyrium uiri sancti? CAM. Diuinare potius Claudius conatur, quàm Pauli uerba explicare. Atqui satis mihi est ab eo, & Hieronymo hoc haurire, baptismi uoces has, pro passionibus nostris à Paulo esse usurpatas. Quo autem ad sensum Claudij paucis responderi potest, aliud esse pro defensione resurrectionis mor-

¶ Claudius

¶ Hieronymus.

tuorum martyrio baptizari, q; & pro se, & pro mortuis, ut litera dicit, baptizari: non quidem absq; causa à proprietate uerborum discedere licet. PRO. Quid igitur dicendum? CAM. Hoc, ut inueniamus, necesse est, scilicet quomodo uerè pro nobis, & pro mortuis baptizemur, & nihilo tamen secius rebaptizari haudquaquam sit. PRO. Expecto quid dicas. CAM. Dicam in primis iuxta Hieronymi, Claudij, atq; Dionysij Cartusiani sensum, baptismũ, quo pro mortuis utebantur, nil aliud secundum Pauli uerba esse, q; passiones, quas pro mortuis sustinemus. PRO. Indecens quidem res uidetur, ut Paulo de baptismate loquente, uerbo hoc abuti tu uelis, ut passiones ostendat, in hac præsertim purgatorij quæstione, quæ in scriptura nominatim non exprimitur. CAM. Filium Dei pro me habeo, qui baptismum, ipsam passionem, quam pro alijs sustinemus, nominat, cum ait, Baptismo, quo ego baptizor, baptizamini † & alio in loco, baptismo habeo baptizari. † PRO. Iesus sic loquendo, proprietate uerbi baptizor usus non fuit. CAM. Liceat & Paulo ita loqui: & improprie hoc uerbo utatur. PRO. Constat sanè de ipsa cruce Christum loqui uoluisse, hic autem Paulum de his afflictionibus sensisse minimè constat. CAM. Hoc quidem omnes hi, qui rectè uerba scripturæ interpretari optant, perpetuò obseruare debent, ut cum uerba aliqua difficilia sese offerunt, ex præcedentibus et sequẽtibus uerbis illa declarare nitantur. † PRO. Rectè sentis. CAM. Obseruemus igitur, quid Paulus paulò antè, quid'ue paulò post dixerit. PRO. Perge. CAM. Id menti proponas quæso quod dudum dixi, nusquam auditum in illa epistola esse, Corinthios pro mortuis rebaptizationi operam dedisse: sed Pauli uerba fuisse, quibus resurrectionem mortuorum probat. Sic enim ipse paulò ante exorditur, [si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in uobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?] non autem hoc baptisma proposuit.

† Mar. 10. † Luc. 12.

† Aug. de doct. christ.

Et paulò post [si in hac uita tantùm in Christo sperantes sumus; miserabiliores sumus omnibus hominibus.] ipsas afflictiones considerans, quas pro Christi nomine sancti uiri patiuntur. Postea uerò uerba illa subiunxisse, quæ enucleare nunc laboramus; Alioquin &c. PRO. Recte. CAM. Arrige igitur aures, ne cum quibusdam pertinacibus erres, trifariamq; hunc baptismum afflictionis Paulum considerasse obserua. Primo nimirum modo, cum & pro mortuis baptizamur, id est affligimur, quem baptismum illis uerbis expressit. [Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, ut quid & baptizantur pro illis.] Altero ut patiendo baptizemur pro fratribus nostris, qui uiuunt, dum ait. [ut quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior propter uestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.] Tertio cum pro nobis ipsis patimur, dum inquit: [Si secundum homines ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?] Belle ostendens passiones nostra & nobis, & alijs tam mortuis, quàm uiuis prodesse, taleq; baptisma, hoc passionum baptisma esse, quod cum baptismo regenerationis conuenire potest. PRO. Minimè Paulus unica uerborum structura hæc tria recenset, sed ad alia animum conuertit, cum dicere incipit. [ut quid & nos periclitamur?] CAM. Antiqua pertinacia tua huc te ducit, ut non expendas sæpe coniunctione, ut, Paulum usum esse, cum inquit, ut quid & baptizantur pro mortuis, ut quid & baptizamur nos omni hora, sæpe illud repetendo, si mortui non resurgunt, idem thema prosequens, non aliud exordiens. Quæ cum ita se habeant, quia mortui, qui in cœlo sunt, bonorum nostrorum non egent: qui uerò in inferno manent, nullam redemptionem sperare possunt, quando magnum chaos inter nos & illos positum est: † uelis nolis fateri cogeris, † Luc. 16. tertium locum dari purgatorij ignis temporalis, in quo mortuorum

animæ maneant; pro quibus nos qui uiuimus, Paulo authore, hoc baptiſmo cruciatus pœnas pro peccatis mortuorum penſitamus. Et cum Chriſtus dixerit. Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt uobis. † propter quæ uerba patres noſtri, baptiſmum pro peccatis poſt lauacrum commiſſis, ipſam eleemoſynam nominare minimè dubitarunt, † inferam ego, non ſolum paſſiones noſtras corporales, quarum Paulus meminit, uerum etiam & quæcunq; alia bona ſupererogationis, quæ nobis proſunt, itidem & mortuis, ad mundandas eorum animas prodeſſe poſſe. Nam baptizare nil aliud quàm mundare eſt: quod ſiue aqua, ſiue ſanguine principio fiat, ſiue eleemoſynis, aut afflictionibus pro nobis uel fratribus ad mundandum peccata poſt baptiſma commiſſa deinde perficiatur, baptizare ſemper erit. PRO. Putas tu Paulum apertius hoc non explicaturum fuiſſe, ſi purgatorij meminiſſet? CAM. Tu ſolus ignoras Paulum ſecundum ſcientiam ſibi condonatam, multa (Chriſti exemplo) omnibus innoteſcere noluiſſe? Satis eſſe putans eccleſiæ omnia oſtendiſſe, quæ margaritas has à Pauli theſauro capit. Num propterea ueritatem mentis Pauli negare licebit, quia apertius loquutus non fuit? Non'ne hi potius repellendi ſunt, qui neſcientes Pauli uerba explicare, hos diſſonos ſenſus, quos retulimus, literæ accommodant? Ea Paulum dixiſſe cogitantes, quæ Paulus ne ſomniauit quidem. Non'ne omni iudicio carent, cum uolunt Paulum id in præteritum increpuiſſe, quod in futurum ipſo authore facturi erant, & non potius longa oratione eos qui talia agere uellent, Paulum correxiſſe, ſi id cogitaſſet, quod ipſi cogitant?

† Luc. 11.

† Hier. pſal. 133 in verbo benedicite. Chriſ. in c. Matth. 24 hom. 72. col. 7 Aug. hom. 39.

CAPVT QVINTVM.

¶ Argumẽtum ꝑ purgatorio.

Christi authoritate Matth. 12. purgatorium probatur.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

NE perpetuò ad hoc asylum confugias, idcirco scilicet uos purgatorium negare, quia nomen purgatorij in scriptura non legitis, Domini uerba afferam, quibus apertè purgatorium ostenditur, cum ait. [Quicunque peccauerit in patrem, aut dixerit uerbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc, neq; in alio seculo. PRO. Quid per hæc peccata tu intelligis? CAM. Non quidem te ignorare puto, Sanctissimam Trinitatem unam essentiam esse, tres uerò personas, patris, filij, & spiritus sancti. Patri item potentiam tribui, ac quomodo increata sua sapientia ab æterno seipsum intelligens, intelligendo filij personam absq; tempore ab æterno genuerit. Rursum à patris & filij charitate increata, spiritus sancti personam nullo interposito temporis spatio processisse: quæ, bonitas nimirum ipsa, est Dei, qua seipso fruitur, extra uerò creaturas diligit. PRO. Vera ais. CAM. Nouisse te quoq; autumo, per hunc spiritum sanctum dona in nos uenisse, quæ Christum patris sapientiam comitata sunt, tum ut charitate abunde diffusa in cordibus nostris, à commissis peccatis mundaremur, tum ut omnem supernam ueritatem intelligeremus, tum etiam ut futura quoque præcaueremus. PRO. Hæc quoque uera. CAM. Non igitur ignoras, eum qui in patrem peccat, infirmitate peccare, quæ patris potentiæ aduersatur: qui uerò in filium patris sapientiam, ignorantia: in spiritum uerò sanctum, qui Dei bonitas est, malitia. PRO. Mortalia potius à uenialibus Iesus distinguit. CAM. Tanta'ne distinctione opus

erat, ut patris, filij, & ſpiritus ſancti perſonarum ratio propter ipſa peccata uenialia haberetur? Non quidem hoc agit, ſed Phariſæos peccato in ſpiritum ſanctum peccaſſe commonſtrare uult, dum miracula, quibus Dei bonitas utebatur, ut Ieſum Dei filium eſſe oſtenderet, principi dæmoniorum dolo adſcribebant: ſpiritusq; ſancti loco ſpiritum immundum ſubrogabant, quod quidem peccatum non ea ratione non remitti Ieſus aſſerit, ut uel Deo poteſtatem dimittendi adimat, uel natura pœnitentibus remitti non poſſe dicat, quin potius, ut remitti non ſoleat: nam paulò poſt, ut remitti poſſe oſtenderet, ſubiunxit, Aut facite uobis arborem bonam, uel facite arborem malam†. PRO. Cur hoc peccatum adeò graue eſt, ut non remittatur? CAM. Quoniam nouo lumine is indignus eſt, qui oblatum lumen primum negligens, ſciens ac dolo, ueritati, ipſiq; ſpiritui ſancto aduerſatur. † Hinc enim fit, ut in ſua cæcitate derelictus homo, ipſe proprijs malefactis gaudeat: ac noua uitia prioribus addere conetur: iuſtitia ucrò Dei induretur: pœnitentiæq; donum ei minimè detur: qua pœnitentia hominis culpa ſummota, tale peccatum neq; in hoc, neq; in alio ſeculo remittitur. Eam enim ob cauſam protoplaſtis pœnitentia data fuit, quia ignorantia male eligendo peccarunt. † itidem & Paulo, qui ignorans in incredulitate peccauit. † Lucifero uerò denegata, qui ipſi ueritati contradicens peccauit: quare relictus fuit, ut eius ſuperbia creſcat ſemper. Hac enim ratione, quia rarò uiſum eſt, ut tale peccatum pœnitentiam impetret, Petrus Symoni mago dixit; Cor tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. † Audi, ſi forte: uos enim huius rei optimi teſtes eſſe poteſtis, à quibus omne lumen Deus abſtulit, ut de die in diem in ſuperbia creſcentes, traditi in reprobum ſenſum, proprijs peecatis gaudeatis. PRO. Ad rem redeamus. CAM. Quid tu filij Dei uerbis reſpondes? PRO.

† Matth. 12.

† Scda ſcdæ. q. 14. 1. 3. 4. c.

† Leui. 5.

† 1. Thimo. c. 1.

† Act. 8.

contendimus nos uerba illa, in alio ſeculo, in Matthei euangelio abundare, ſiquidem in græca editione ſic legimus, οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι, quod latine uertimus, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. CAM. O ſtulti & tardi corde ad credendum qui dixit, neq; in hoc ſeculo, addens poſtea, neque in futuro, non'ne dixit ſeculo? non quidem dixit in futurum. At quid Marcus? PRO. Marci uerba ſic habent: Qui autem blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti. CAM. Apertiora uerba Marci ſunt, quando uox, æternum, omnia ſecula complectitur. PRO. Cur in græca editione Matthei uerba, quæ dixi, non legantur, mihi reſponderi uolo. CAM. Cauſa, quã ſcire uis, omnibus nota eſt, nempe Græcos purgatorium negaſſe: proindeq; in hoc loco & alijs multis, quæ cæteras eorum hæreſes condemnabant, illos ſcripturas depraua ſſe: hanc enim præſertim ob cauſam, à uulgata, quæ perpetuò integra manſit, græcam editionem corrigendam eſſe, optimis argumentis alibi probaui.† PRO. Si in græca editione uerba hæc legeremus, neq; in hoc ſeculo neque in alio, adhuc illa abundare reſponderemus. CAM. O bellum diuerticulum. Perperam'ne Ieſus loquebatur? aut ſecuri uobis legem Dei diuidere, aut gladio circumputare licet, Domini mandatum contemnentes, quo iubet, ne uerbum quidem legis uel auferri poſſe, uel immutari? PRO. Dic quæſo, apud quos logicos legeris duas has negationes, neq; in hoc ſeculo, neq; in alio, aliquid affirmare? CAM. Scire à Petro Martyre ego uelim, cuius hæc uerba ſunt, qua negatione opus habeamus, ſi paulò ante bis dixit, remittitur ei, paulò uerò poſt peccatum in ſpiritum ſanctum non remitti ſubiungit. non'ne, duo prima remitti poſſe, tertium uerò nequaquam apertis uerbis dixit? PRO. Abundant ergo uerba illa, neq; in hoc ſeculo, neq; in alio ſeculo. CAM. Immo neceſſaria eam ob cauſam ſunt, quia cum dicit, non remittetur ei neq; in hoc neq;

† In lib. de uera eccleſia Dei in canone c. 1. 2. & 3.

in alio ſeculo, manens Dei propoſitum nunq; remittendi oſtendit, omne tempus his uerbis concludens. PRO. Hoc quæro, unde tu haurias, peccata in patrem, & in filium, in alio quoq; ſeculo remitti. CAM. Cum Ieſus ſimpliciter remitti peccata in patrem & in filium, dixiſſet: addens peccatum in ſpiritum ſanctum neque in hoc, neq; in alio ſeculo remitti, caſum excepit aliter determinatum: quo fit, ut cum exceptio in non exceptis regulam firmet † ea huic peccato negauerit, quæ in alijs conceduntur: ita ut in hoc & in alio ſeculo prima duo peccata remittantur, peccatum uerò in ſpiritum ſanctum nequaq;. Nam ſi dixero uolo ut mei famuli uinum bibant. Deinde Architriclino, ut Andreæ uinum neq; domi, neq; extra domum det, iuſſero; iſta exceptio Andream à primo mandato excipit, & ſimul regulam, ut uinum in domo et extra domum, (ſicuti exceptionis qualitas addita declarat) cæteri bibere poſſint, confirmat; ita quidem ut qualitas in exceptione poſita regulam declaret, ut eadem cum qualitate præcepta intelligatur. PRO. Quid tum deinde? CAM. Res certè ſatis aperta eſt, poſt mortem culpam remitti non poſſe, ne dicamus, aut in inferno redemptionem eſſe, aut ijs, qui impœnitentes ſunt, culpam remitti. † ſcriptum eſt enim, ne uerearis uſque ad mortem iuſtificare animam tuam: † Quoniam mortem Dei iudicium irreuocabile ſequitur. † Pœna ergo eſt illa, quæ poſt mortem remitti poteſt ei, quem in uita eum peccaſſe pœnituit, obdurato uero nihil, † Si autem neq; in cœlo, neq; in inferno ipſa remiſſio pœnæ fit, non ne tertium locum dare neceſſe eſt, in quo peccata in patrem & in filium remittantur, qui purgatorium omnino erit?

† l. nam quod liq. de. §. fi. ff. de pen. leg.

† Aug. de ſanct. ſer. 4.
† Eccle. 18.
† Hebr. 9.
† Aug. Enchi. c. 110. et in multis alijs locis.

CAPVT SEXTVM.

Erasmi error.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

¶ Argumē. 6. cōtra purgatorium qđ tñ contra ꝓtestantes retorquetur.

OMNIS argumentorum tuorum uis in hoc solo consistit, ut tertium locum ostendere possis, ubi animæ, ante quàm in regnum cœlorum intrent, maneant. CAM. Ita est. PRO. Admittenda est consequentia hæc. Tertius locus datur, ergo ille ignis purgatorius est? CAM. Omnino. PRO. Irenæus cum tertium locum hunc ostendisset, ubi omnium electorum animæ usque ad corporum resurrectionem manent, nullam rationem purgatorij eam ob causam habuit, quia purgatoriũ ignem dari non credebat. CAM. Erasmi argumentum hoc est, qui neq; uerba neque sensum Irenæi intellexit. PRO. Hæc Irenæi uerba sunt ⸢ Cum enim Dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, post deinde resurrexit, & post resurrectionem assumptus est, manifestum est quia & discipulorum eius (propter quos & hoc operatus est Dominus) animæ abibunt in inuisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi usque ad resurrectionem commorabuntur sustinentes resurrectionem, post suscipientes corpora, & perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, quemadmodum Dominus resurrexit, sic uenient ad conspectum Dei. Nemo enim est supra Magistrum: perfectus autem omnis erit sicut Magister eius ⸣ & paulò post ⸢ & sic resurgentes assumi quotquot Dominus hos dignos habuerit ⸣ CAM. Consuetus Grammatistarum error hic est, ut sensum authoris persæpe ignorantes, uerba sic amplectantur, ut uocabulorum potius, quàm rerum defensores sint. cum illis certè Philosophis Irenæus disputabat, quibus placuit, nullum præter mundum hunc infernum dari, ubi corpora inhumata manent, ani-

mas uerò confestim ad cœlum auolare. PRO. Siue cum illis, siue cum alijs concertatio fuerit, hoc uobis sufficit, Irenæum hunc locum tertium aliter declarasse, quàm Romani sacerdotes prædicant. CAM. Aut tu illam hæresim renouare conaris, nempe animas electorum non posse ante iudicij diem in cœlorum regnum intrare: & hæc Domini ore condemnatur, si quidem Latroni dixit. Hodie mecum eris in paradiso. † aut tertium locum, qui purgatorius ignis non sit, dari contendis, ubi aliquo temporis spatio donec intrent, animæ ipsæ manere debeant. PRO. Hoc postremum eligo. CAM. Causam mihi ostendi uelim, cur animæ in hoc tertio loco manentes ad tempus, ne intrent, impediantur? PRO. Tibi hoc onus incumbit, qui illam inquiris. CAM. Nulla certè ratio alia cogitari præter hanc unam potest, ut propterea morentur, quia interea temporis mundantur, eo quòd nil inquinatum in paradisum ingredi potest. † PRO. Nullius purgationis Irenæus meminit, sed tertium locum dari simpliciter dixit. CAM. Dem ego Irenæum simpliciter hunc locum posuisse, modo tu mihi respondeas, an Irenæus locum hunc circunscripserit. PRO. Inuisibilem esse dixit. CAM. Sit inuisibilis, modo tertius locus sit, ubi animæ interea temporis maneant. PRO. Tertium locum do, purgationem uerò nego. CAM. Non'ne de resurrectione corporum Irenæus agit, pro certo habens animas uiuere? PRO Omnino. CAM. Non'ne tu fateris animas posse ante iudicij diem ad cœlum auolare? PRO. Id ipsum confirmo. CAM. Fateris itaque primum locum inuisibilem pro omnino iustis paradisum esse. PRO. Sit ita. CAM. Hoc concesso, aliud quoque dabis, quippe secundum locum infernum dici, ubi reprobatorum animæ, donec corpora resurgant, maneant: ut totus homo absq; fine deinde crucietur. PRO. Sint duo. CAM. Fuerunt'ne hæc duo in his uerbis à te citatis ab Irenæo expressa? PRO. Minimè: sed ita eius uerba intelligen-

† Luc 23.

† Sap. 7. Apocal. 21.

da ſunt. CAM. Subiungam igitur ego, itidem addendum eſſe, hunc tertium locum extra cœlum, & æternum ignem poſitum, ut in regnum cœlorum intrare poſſint, uel ipſum purgatorium ignem neceſſario eſſe, uel locum alterum, in quibus animæ purgantur. NAM extra ignem purgatorium, animæ particularibus locis quoq; circunſcriptæ ſunt, Deo ſic iubente, uti paulò poſt dicam † in quo purgari poſſunt. PRO. VSquo ad iudicij diem omnes animas in hoc tertio loco purgatorij manere Irenæus dixit, non autem ut breui tempore illo in loco permanentes in paradiſum intrent. CAM. Id conſiderat quod eſſe poterit, ut aliqui uſq; ad diem illam maneant. Bernardum lege, qui ſatis mites uſque ad iudicij diem, purgatorij flammas ſibi fore dicebat, modò ſic exuſtus, æternæ ſalutis, uiuens certus fieret. Iuſtus nanq; Dominus eſt, ut nos puniat: Miſericors item, ut quorum, & quando decet, miſereatur: quæ intuens Irenæus ſubiunxit. [ſic enim uenient ad conſpectum Dei] quid iſtud ſic uenient? niſi docere, immundas animas & corpora pœnitentium in cœlum non intrare, ante quàm purgentur? ne dicamus in reſurrectione mortuorum omnes animas ſaluari, qui in inuiſibili loco manſerunt, quando & infernus ipſe ignis perpetui inuiſibilis locus eſt, quapropter addidit [& ſic reſurgentes aſſumi quotquot Dominus dignos habuerit] quid illud dignos habuerit? non ne quidam indigni ex his, qui in inuiſibili loco extra paradiſum manent? in inferno autem nemo dignus: ergo in purgatorio igne temporali; qui locus tertius eſt ab Ireneo expreſſus. VTinam grammatiſtæ ſilerent, & has hæreſes minimè audiremus.

† Dialog. 2.

† M

CAPVT SEPTIMVM.

Alio Iesu Christi testimonio purgatorium stabilitur Matth. 5.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

¶ Argumẽ. 7. pro purgatorio.

ESTO consentiens aduersario tuo citò, dum es in uia cum eo (Iesus inquit) ne forte tradat te iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mitteris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas minutissimum quadrantẽ.† PRO. Iesu uerba hæc sunt, à nobis sæpe optime explicata. CAM. Mecum hodie certas. PRO. Perge. CAM. Cui Iesus loquitur? PRO. Homini carnali. CAM. Quis aduersarius? PRO. Spiritus, qui aduersum carnem perpetuò militat, eiq; suadet, ut Dei mandata seruare uelit, oblatamq; crucem sustinere: ut eam sustinendo, peccatorum suorum pœnam persitet: pœnitendoq; eius anima hunc in modum mundata in paradisum intret. CAM. Quis iudex? PRO. Dominus. CAM. Minister quis? PRO. Satan. CAM. Metaphorica uerba hæc omnia sunt? PRO. Omnino. CAM. Diuersi igitur sensus literæ accõmodari poterunt. PRO. Vtiq;. CAM. Quem tu intellectum proponis? PRO. Dominus est, qui peccatorem admonet, ut antequam ab eo affligendus ad tempus Satanæ in hoc mundo tradatur, carnem domare conetur: ne forte, si hoc non egerit, afflictionibus bene uiuere discat. CAM. Quoniam, si unicuiq; suo sensu metaphoras & parabolas interpretari liceret, facile ad fabulas multa conuerti possent, hoc unum remedium huic incommodo esse arbitror, ut nil ad explicandum eas afferatur, quod cæteris scripturæ testimonijs non quadret. PRO. Rectè. CAM. Hoc itaq; concesso, semel loquendo duo efficere conabor: alterum, ut hunc uestrum sensum nullo modo uerbis Iesu

† Matth. 5.

accommadari posse uideatis: alterum uerò, ut uerum huius sententiæ Domini sensum apertissimè ex his quæ in medium afferam, intelligatis. PRO. Matura. CAM. Dum es in uia, Dominus dixit: non ne? PRO. In uia. CAM. Quænam uia hæc? PRO. Quotiens uis audire, tempus sanè est, antequam spiritus carnem accuset, et aduersario satanæ peccator tradatur, ut uerberibus discat rectè uiuere. CAM. Aut tu tempus illud consideras conflictus inter carnem, & spiritum, dum caro mentem ad concupiscendum tentat, ratio autem, carnis cogitationes reprimit: & hoc tempore, quia nil mali egerunt, quod in mortale peccatum transeat, tortori tradi non possent; si uerò tempus consideras, quando spiritus carni consensit, ob quod caro & spiritus affligendi sunt, tunc criminis socius potius quàm aduersarius in uia spiritus ipse dicetur. Etenim cum Adam dixit, mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. † sociam sibi datam ostendit, cui ipse socius quoque delinquendo fuit. Quis enim tam delirus homo erit, qui spiritum hunc carni aduersarium esse dicat, quandoquidem, si aduersarius iste ideſt spiritus, iudici carnem, ut puniatur, traderet, spiritus carni consentiens & ipse tradendus esset. Porro si spiritus ipse aduersarius esset, quomodo ut caro affligatur coram iudice instaret, et non potius cum Paulo, ut stimulus carnis ab eo auferreretur, oraret? † PRO. Non ne spiritus rerum male gestarum sæpe carnem accusat? CAM. Se ipsum simul & carnem, non tamen eam ob causam accusat, ut iudicem adeat, qui tortori eum tradat, ut carceri mancipatus puniatur, quin potius mens ipsa ad se conuersa, pro indulgentia utriusque coram iudice orat. PRO. Quem tu sensum literæ accommodas? CAM. Hoc modo literam explicandam esse censeo. [Esto consentiens aduersario tuo] id est legi. PRO. Quænam impropriens hæc est? CAM. Christum arguere tuum, qui dixit à Moyse legislatore te propterea ac-

† Gen. 3.

† 2. Cor. c. 12.

cusatum iri, quòd legem non seruaſti, † Quod si ita est, non ne hoc modo lex aduersaria tua est, & Moyses, qui ob legem non seruatam te accusabit? PRO. Pergè. CAM. [Citò dum es in uia cum eo,] hoc est usque ad mortem; siquidem uel mandata seruando, uel pœnitendo saltem legem non seruasse, ipsam legem implemus: pœnitentia autem usque ad mortem conceditur: sicut † Eccle. 18. scriptum est, Ne uerearis usque ad mortem iustificari: † quoniam † Hebr. 9. semel statutum est mori; & post hoc, iudicium: † & nullus pœnitendi relinquetur locus, quemadmodum Epulonis historia docet, qui non ut peccati eum pœniteret, sed propter dolorem auxilium quærebat † [ne] post mortem [tradat te iudici] Christo, cui omne iudicium pater dedit, † [& iudex] Christus [tradat te ministro] satanæ, quo ad ministerium hoc Deus ipse utitur, [& in carcerem mittaris.] PRO. De igne ergo inferni intellexit, † Vide quæ scripsi in dialogo de eleemosyna c. 5. §. 2. quo in loco animæ, ut perpetuò ibi maneant, carceri impœnitentes includuntur. † Io. 5. CAM. Temporalem, non autem æternum carcerem ipsus expressit, cum dixit, [Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.] PRO. Vox illa, donec, pro tempore perpetuo (quemadmodum illud, Donec ponam inimicos tuos, & alio in loco, Donec peperit) à nobis usurpatur. CAM. Sed malè. PRO. Quapropter? CAM. Quoniam uerba improprie minimè intelligenda sunt, quando secundum propriam significationem intelligi possunt. Grammatistæ quidem uos estis, non tamen animaduertitis adiacentia plerunq; nos cogere, ut uerba impropriè usurpemus, ut pote, si locum à uobis citatum intueamur, in quo de Christo Propheta agebat, cuius regnum ad tempus esse non potest, quando ille est, qui regnabit in æternum et in seculum seculi. † Apo. 22. Aliud uerò testimonium, quod testatur Ioseph Mariam non cognouisse, donec peperit primogenitum, de Maria loquitur, quæ etiam uestra confessione perpetuò uirgo permansit. At hic, non exibis

inde, donec nouissimum quadrantem reddas, Dominus dicit: quod quidem reddere, in inferni igne perpetuo, uerificari non potest: & cum soluendo exire omnino debeat, ad tempus eos carceri mancipari, ut confiteamur, necesse est. PRO. Vnico argumento os tibi obstruam. CAM. Quo? PRO. Consentire aduersario debet, donec uita comes est. CAM. Omnino. PRO. Ille ergo mittitur, qui non consentit. CAM. Rectè. PRO. Aduersarius, lex est. CAM. Maximè. PRO. Perpetuus ergo carcer propterea erit, quia legi non obtemperauit. CAM. Hanc consequentiam nego, nam legi consentit is, quem in uita legem non seruasse pœnituit, ac pœnitendo simul in uita acquirit, ut suffragia, quæ uiui pro se mortuo faciant, ei prodesse possint, † PRO. Quid nunc ex his omnibus colligis? CAM. Hanc ego aquam ex hoc fonte haurio, ut postquam paradisus, locus summæ libertatis est, inferni autem ignis & carcer perpetui sunt: alterum carcerem ad tempus dari necesse sit, ubi malè actæ uitæ pœnam usque ad unicum quadrantem pensitemus, itaq; tandem mũdati, nec aliter, in cœlorum regnum intremus. PRO. Poterat quidem Iesus unico uerbo purgatorij ignis locum declarare, non autem metaphoris uti. CAM. Hac sola ratione silere omnino deberetis, quando ex his expendere licet, non solum notulam purgatorij Iesum exprimere noluisse, uerum etiam rem ipsam metaphoris narrasse: & hoc quidem ut uos et patres uestri carnalibus auribus audientes, spiritualibus minimè audiretis, electi uerò spiritu audirent.

† Aug. Enchir. 110.

Caput

CAPVT OCTAVVM.

Ioannis testimonio ignis purgatorius hoc loco ostenditur.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

¶ Argumẽtum 8 p purgatorio.

Æc Ioannis uerba sunt [*Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem, petat, & dabitur ei uita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem.*] PRO. *Quid ex hoc Ioannis testimonio colligis?* CAM. *Satis aperte purgatorium probari.* PRO. *Totus nouis inuentionibus deditus eris?* CAM. *Non, propterea quia uetustas suo loco conseruanda est, res nouæ, quæ optimos fructus producunt, repudiandæ erunt.* PRO. *Quid pro peccato ad mortem intelligis?* CAM. *Is hoc peccato ad mortem peccat, qui fidem per charitatem operantem, ad mortem usq; à se abalienauit.* † PRO. *Non ergo antea peccatum ad mortem est, quam naturæ dissolutio fiat, ut pro eo ab ecclesia orari non possit.* CAM. *Aliud est peccatum ad mortem, hoc est peccato in spiritum sanctum in uita aliquem peccare, & pro eo in uita ecclesiam orare: quod permittitur: Aliud pro peccato ad mortem, diem functo peccatore, uelle ecclesiam orare: quod ei interdictum est.* PRO. *Quis distinctionis huius author?* CAM. *In uita nos orare posse pro tali peccato Augustinus testatur, cum ait,* Peccatum ergo fratres, *de quo Ioannes agit, ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Iesu Christi quisq; oppugnat ueritatem, & aduersum ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitatur.* † PRO. *In uita peccatum hoc modo committi Augustini uerba docent; quòd autem in uita pro ipso oremus, Augustinus tacet.* CAM. *Sic Augustinus alio in loco inquit: De nullo*

† Aug. de falsa peni. c. 4.

† Aug. lib. prim. retra. c. 19.

desperandum, quandiu patientia Domini ad pœnitentiam adducit. † PRO. Minimè huius peccati Augustinus meminit. CAM. De nullo dixit: ergo neq; de isto. NON quidem circa hoc discrimen aliquod inter nos esse debet, quandoquidem iam dudum ostendi, ipsum peccatum in spiritum sanctum ante mortem remitti posse. Quod autem post mortem orare non liceat, Ioannis uerba satis apertè hoc docent, quæ, dum alterum uetant, alterum non uetitum permittunt. PRO. Neque pro hoc, neque pro alijs post mortem oramus. CAM. Cum Ioannes inquit, est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis: ne dicamus Ioannem uerbis Christi aduersari, qui peccatum in spiritum sanctum, quod ad mortem est, remitti in uita posse dixit, inquiens, facite uobis arborem bonam, † satis de ea oratione se loqui ostendit; quæ post mortem in fauorem peccantis ad mortem, Domino offertur. PRO. Illam fortasse speciem peccati in spiritum sanctum consideras, cuius Augustinus meminit, nempe quando obstinatus quispiam in hoc peccato perit? CAM. Maximè. PRO. Quomodo ecclesia cor morientis cognoscere absque Dei reuelatione poterit, ut illum, qui diem obijt, obstinatum fuisse iudicare queat? Nam fieri potest, ut in hora mortis ad pœnitentiam à Domino adducatur. CAM. Cum ecclesia de manifestis iudicet † si aliquem ecclesiæ rebellem, ab ea excommunicatum in sua obstinatione perire cernit, probabiliter eum condemnatum à Domino esse iudicat, nec pro eo orat. PRO. Hunc igitur in modum Ioannis uerba intelligenda esse censes? CAM. Omnino. PRO. Quo tendas, perspicuè nunc uideo. Vis quidem hoc consequens ex his Ioannis uerbis inferre. Pro hoc peccato ad mortem, non licet post mortem orare: ergo pro cæteris peccatis mortalibus, quorum eum qui mortuus est pœnituisse constat, oramus. non pro culpa, quæ remissa est: ergo pro pœna. Non pro his, qui sunt in cœlo, qui nihil soluere obligantur; Non pro his, qui in inferno manent, ubi

† Aug. de ver. dñi in Matthæū serm. xi. col. x.

† Matth. 12.

† De spon. c. tua.

nulla est redemptio; ergo pro tertio loco purgatorij ignis, in quo animæ à maculis repurgantur. CAM. Non'ne optimè isthuc consequitur, Ioanne simpliciter dicente, Vt pro peccato ad mortem non liceat orare? qui enim unum excepit peccatum ad mortem, quod post mortem, ecclesiæ ex his quæ uidet, notum esse potest, uetans ne pro eo oremus, satis expressit ut pro cæteris, quæ iniquitates fuisse potius quàm peccata ad mortem constat, post mortem oremus; & cum post mortem frustra pro anima, quæ in cælo, uel in igne æterno manet, ecclesia oraret: tertium locum dari necesse est, ubi hi maneant, pro quibus ecclesia post mortem orat. PRO. Vt omnes hos scopulos uitemus, sic Ioannis uerba explicanda esse censeo, quippe ut pro peccato ad mortem, de mortali peccato intelligat: pro iniquitate, ipsa peccata uenialia. CAM. Si mortale peccatum quod fuit, ueniale peccatum propterea uocites, quia temporalis illius pœna est, & solui, uel patiendo, uel suffragijs uiuorum potest, assentior. Si autem pro ueniali peccato, quod committitur, uocem hanc usurpas, eam ob causam huic tuæ opinioni, ut de his peccatis Ioannes duntaxat senserit, subscribere non possum, quia ueniale peccatum iniquitas non est, tametsi peccatum sit. † PRO. Quid ergo erit? CAM. Humana fragilitas dolo carens, absque quo dolo, uel eo quod dolo comparetur, mortale peccatum, aut quodcunq; facinus morte dignum committi non potest: hoc sanè Paulus intuens dixit; Non apprehendat uos tentatio, præterquàm humana, absq; qua uitam ducere nequimus, †

† Aug. de sanct. serm. 41, ser. 4 & Thom.

† 1. Cor. c. 10.

CAPVT NONVM.

Ioannis testimonio Apocalipsis Quinto purgatorium ostenditur.

¶ Argumẽ. 9. pro purgatorio, ex apocalipsi libro, quẽ canonicũ eẽ paulo post ostẽdã.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

IOANNIS quoque uerba hæc sunt. [& omnem creaturam quæ est in cœlo, & quæ super terram, & subtus terram, & mare, & quæ in eo sunt, omnes audiui dicentes sedenti in throno, & agno, benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum. PRO. Si Ioannis presbyteri uerba hæc esse contendis, assentior. CAM. Ioannis Apostoli sunt. PRO. Apocryphum igitur librum illum esse respondeo. CAM. Tres satis diuersæ quæstiones hæ sunt, quæ sese in præsentia nobis offerunt: altera, an liber ille apocryphus sit, nec ne; altera, ut tam uerba à me iam dudum citata, q; reliqua, quæ ex multis libris, quos apocryphos uos esse contenditis, allaturus sum, ut decet, explicare debeamus, explicandóq;, quid uerba significent intelligamus. Tertia ut uideamus, an uobis liceat Apocalypsis librum, Tobiæ, & Machabæorum, apocryphos uocare: quod postremo discutiemus. PRO. Quid impedimento nobis est, quin id in præsentia fiat? CAM. Ne sæpius eadem repetere cogamur. Poterimus itaq; uerba ipsa explanare, & si canonica erunt, illis stare, si uerò ueritas se hunc in modum non habeat, aliter illa considerare. PRO. Perge. CAM. Quoniam aliquos in cœlo esse, qui Dominum laudant, itidem et in terra minimè dubitamus, de ijs qui subtus terram & subtus mare, ac in eo manent, nostra concertatio erit. PRO. Contendis fortasse ex hoc loco purgatorium ignem probare? CAM. Quid ni? PRO. Ne dicas ex nostro capite uelle nos uerba hæc interpretari, communem Catholicorum opinionem in medium promam, quibus placuit de honore præ-

ſtando naturæ Chriſti aſsumptæ in loco illo agi, quē omnes gentes laudāt. [quæ ſupra terram, et ſubtus terram ſunt] id eſt homines uiatores & dānati. CAM. Damnati ergo ad ignem æternum, Deo benedicunt? PRO. Res apertiſſima eſt, minimè damnatos, et ſi Dei cognitionem quandam, quatenus eos affligit, habeant, eum tanq; bonitatis fontem colere, quin potius eum odiſſe. † Atqui, ſicut credunt dæmones, & contremiſcunt: eodem modo humanitati Chriſti omnes damnati ſubijciuntur. CAM. Verba literæ obſeruemus, quæ hæc ſunt: [Omnes audiui dicē tes ſedenti in throno, et agno. Benedictio & honor et gloria et poteſtas ſedenti in throno, & agno.] † quæ quidem uerba adorationem, & laudem oſtendunt Dei, qui ſedet in throno, & agni, potius quàm ſeruilem timorem. PRO. Catholicis ergo aduerſaris, qui palam confitentur ipſos damnatos per hæc uerba oſtendi. CAM. Duæ damnatorum ſunt cohortes: altera nimirum illorum, qui in æternūm condemnati ſunt; altera uerò eorum, qui ad tempus condemnantur: de quibus poſtremis, ut domino benedicāt, Catholici ſentiunt. Quod ſi tu confirmaueris, purgatorium ignem dari, apertè cum Catholicis confiteberis: hi quidem in purgatorio igne manentes, illi ſunt, qui in medio ignis Dominum laudantes, eius miſericordiam præſtolantur. PRO. Male has laudes hi concinere poſſunt, qui flammis ignis exuruntur. CAM. Ais tu, ignem ipſas quoq; tribulationes mundi eſſe? PRO. Aio. CAM. Scripturam ergo illam lege, quæ de his loquens, qui in igne tribulationum ſunt, ſic ait: Et clamauerunt ad Dominum, & de omnibus neceſſitatibus eorum liberauit eos. † PRO. Nemo certè, qui in igne uero exuritur, laudes canit. CAM. Tyburtium, Laurentium, et multos martyres hilariter martyrium ignis ſuſtinuiſſe legimus. PRO. Credant qui uolunt. CAM. Quid iſtud, ut ueſtros Lutheranos, cum rogos intrant, hilariter illa ferre prædicetis: hos uerò, & Latronem in cruce poſitum, atq; Ioannem in igne & oleo ma-

† Tho. 4. diſt. 50

† Apoc. 5.

† Pſal. 106.

nentem, Deum laudasse negetis? PRO. Laudent, quid tum deinde? CAM. Rogabo, ante quàm respondeam, quid uerba illa significent, quæ postquam dixisset, & subtus terram, statim addidit [& mare, & quæ in eo sunt.] PRO. Cætera animalia maris & aeris ostendere uoluit. CAM. Non ne sæpe dixi uobis, non posse uos grammatistas ecclesiæ margaritas in thesauro scripturarum inuenire? paulò enim post multas species purgatorij ignis etiam in mundo isto dari perspicuè uobis ostendam. PRO. Dem hoc. CAM. Hoc concesso, animaduertere debes in toto libro Apocalipsis Ioannem metaphoris usum esse: scriptura uerò alijs in locis per aquas ipsas tribulationes intelligit; sicut scriptum est, Transiuimus per ignem & aquam. † & alio in loco, Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi uiderunt opera Domini in profundo. † PRO. Non contradico. CAM. Cum ergo Ioannes dixit, omnes benedicere Domino, qui in cælo super terram, & subtus terram manent, & subtus mare, & quæ in eo sunt, his metaphoris non de piscibus intellexit & cæteris animantibus, quæ si certo modo Deum laudant, minimè tamen gloriam & laudem in secula seculorum ei exhibent, sicut litera dicit: quo fit ut de hominibus intellexerit, qui super terram semotis afflictionibus cum Angelis Deum collaudant. [in mari & qui in eo sunt] id est in omni loco angustiæ & tribulationis, quæ multæ sunt [& subtus terram] ubi locum dare necesse est, in quo laudetur Deus. In igne inferni perpetuo, non: ergo in igne purgatorio, qui ad tempus urit: ubi misericordiam Dei expectantes, sic concinunt. Benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum. Amen. † PRO. Sunt qui putant de limbo in loco illo Ioannem sensisse. CAM. Satis tamen ineptè, quando liber ille Apocalypsis multò post scriptus est, q; Iesus limbum clausisset.

† Psa. 65.

† Psa. 106.

† Apocal. 7.

CAPVT DECIMVM.

Thobiæ authoritate purgatorius ignis ostenditur.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

¶ Argumẽ. 10. pro purgatorio.

QVID uerbis Thobiæ respondere poteris, cum ait, Panem tuum & uinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.† PRO. Satis quidem mihi est, librum illum apocryphum esse. CAM. Desine ad hoc asylum confugere, & uerbis Thobie respondè, quem canonicum esse tibi paulò post ostendam. PRO. Causam mihi ostendi uelim, ob quam apocryphus non sit. CAM. Iam iamq; id apertè cernes,† age igitur interim ut Thobiæ uerbis respondeas, si potes. PRO. De homine iusto Thobias lquitur, qui si in iustitia mortuus est, bonorum nostrorum haud quaquam eget. CAM. Eum quoq; iustum esse dicimus, quem peccasse in uita pœnituit, bonorum nostrorum indigentem, ut nostris suffragijs pœnam peccatorum pensitare queat.

† Thobiæ. 4.

† Infra c. 11. §. primo.

CAPVT VNDECIMVM.

Ex Capite XII. Machabæorum satis apertè Purgatorium probatur.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

¶ Argumẽ. 11. pro purgatorio.

QVPEREST, ut uerba libri Machabæorum afferam, quibus Protestantium ori silentium imponam. PRO. Tot controuersias litera illa habet, ut ab optimo iudice uix biennio terminari possint. CAM. Sine me uerba illa in mediũ producere, ut tu deinde gradatim sin-

gula proponas, de quibus tibi responderi optas. PRO. Perge. CAM. Sic uerba libri illius habent. [cum Iudas Machabæus Gorgiæ militibus fugam incussisset, collecto exercitu uenit in Ciuitatem Odollam: ubi comperto iam interfectos Iudæos ob donaria idolorũ fuisse occisos, ad preces conuersi, rogauerunt, ut id quod factum erat delictum obliuioni traderetur. Et facta collatione, duodecim mille drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiosæ de resurrectione cogitans: nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraßet, superfluum uideretur & uanum orare pro mortuis. Et quia considerabat, q̃ hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optime haberent reposita gratiam.] Tuum igitur nunc est, ut ea proponas, de quibus disputaturi sumus. PRO. Facilè Iudam in propria opinione falli potuisse, dum idolatras saluos fore considerauit, in primis propono. CAM. Vita eius, sanctum uirum Iudam fuisse ostendit, qui reuelatione sic potuit loqui. PRO. Diuinare potius hoc est, q̃ quæstioni à me propositæ respondere. CAM. Minimè hoc in controuersia est, an illi salui fuerint, nec ne: quin potius an pro eis Iudas unà cum populo rectè orare, eleemosynasq; elargiri potuerint, quos saluos fore putabant. Non quidem tibi hoc negare licebit, nempe consuetudinem ecclesiæ Israelitarum orandi pro mortuis, atq; eleemosynas pro animabus defunctorum erogandi, illo in loco satis apertè ostendi. Quid enim in litera illa continetur quod recens hebræorum uiuentium consuetudo non seruet? hac enim ratione ritus iste ab Hebræis hodie seruatur, qui ante Christi aduentum ab Israelitis obseruabatur? Quòd si illi sic uiuunt, num etiam si nullus liber Machabæorum scriptus fuisset, id ipsum consuetudo non ostendit, quod liber ille recenset? PRO. Num ab his, quæ Israelitæ seruant, uiuendi regulam ecclesia nostra sumere debet? CAM. Minimè hoc contendo, sed potius ipsam consuetudinem in libro Machabæorum

enarratam

enarratam ueram etiam Hebræorum tempore fuisse. PRO. Pro aduentu Messiæ, qui limbum spoliaret, orabant. CAM. Vnde hoc hauris? non ne pulchrum hoc est, ut superrogationis opera, quæ propensitatione pœnæ peccatorum in uirtute futuri Messiæ elargiebantur, tu ad aduentum Messiæ conuertas? Hæc ut memoriæ commendes rogo, propter quædam, quæ paulò post enarraturus sum, & reliqua aggrediamur. PRO. Secunda ratio, quæ abhorrere ab hoc libro animum meum impellit, hæc est: quia Raziæ factum, quod mortem sibi consciuerit, magnopere commendat, causam addens, quia nobiliter mori uoluit. CAM. Iosephi uerba sunt, non autem Raziæ, idq; historiæ author commendauit, quod iustitia comite Razias fecit. PRO. Palam Augustinus Raziæ factum improbat. † CAM. Magnæ quidem authoritatis Augustinus est, sed eo maior ecclesia catholica, quæ librum Machabæorum canonicum fecit. PRO. Fecit utiq;, sed non aliter, nisi ut sobrie legendo, aliquid boni à libro illo lectores excerperent. † CAM. Omnes hæreticorum libri, cessante inhibitione facta ne legantur, propter hunc finem ab ecclesia legi possunt: at canonicis omnino stare debemus. PRO. Quid Augustino respondes? CAM. Si ita res processisset, uti Augustinus obseruat, peccatum Raziæ nulla ratione excusari posset, quædam tamen mihi occurrunt, quæ ex eodem Augustino haurio, de quibus à te mihi responderi peruelim. PRO. Quæ nam ista sunt? CAM. Dic rogo ante quam ad Augustinum aggrediamur, an à charitate ardentissima cõmotus Ignatius in hæc uerba proruperit? utinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro ueloces mihi esse ad interitum & supplicia, et allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus meum attingere. PRO. Id quidem Ignatius dixit, cum futurum martyrium sibi reuelatum fuisset, quod ab alijs accepit, qui dixerunt, cupio dissolui & esse cum Christo. PRO. Minimè tamen mortem sibi

¶ Razias.

† Epi. 51. et 1. epi. Gaudentij. c. 23.

† Aug. contra secundã Gaudẽtij, epi. lib. 2. cap. 23.

consciuit, uti Razias fecit. CAM. Audi quid post uerba ista subiunxit: Quod si uenire noluerint, ego uim faciam, ut deuorent; Quid enim plus fuit, sanum hominem, mortem bestias impellendo, optasse, sicuti Ignatius in animo constituerat, an quòd semimortuus Razias, qui stans supra quandam petram præruptam, & iam exanguis effectus, complexus intestina sua, utrisq; manibus, proiecit super turbas, inuocans Dominatorem uitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet, atq; ita defunctus est. PRO. Præsupponis ergo, reuelatum fuisse Ignatio martyrium futurum. CAM. Quoniam præparatas sibi etiam bestias palam asserit, hinc id sibi reuelatum autumo, quod Razias corporeis oculis cernebat; seruandus nanque ordo ipsius literæ est, quæ minimè dicit Raziã pro mundi gloria se occidisse, sic enim historiæ author exorditur. Hic multis tẽporibus continentiæ propositum tenuit in iudaismo, corpusq; & animam trudere contentus pro perseuerantia, non autem dicit pro gloria mundi. PRO. Gladio se petijt, eligens nobiliter mori. CAM. Non tamen pro mundi gloria, sed tanquam ille qui prælia Domini certabat, uti litera subiungit, potius quàm subditus fieri peccatoribus. PRO. Nolebat contra natales suos indignus iniurijs, agi. CAM. Verba Iosephi, non autem Raziæ illa sunt, illa uerò, quæ à me in medium producuntur, Raziæ. PRO. Gladio se petijt. CAM. Tunc scilicet, quando comprehensum se uidit. PRO. Præcipitauit semetipsum. CAM. Cum turbæ ostium irrumperent. PRO. Intestina sua proiecit super turbas. CAM. Inuocans Dominatorem uitæ, ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet. Itaq; in fide Iesu Christi, qui propter nostram resurrectionem resurrexit, diem functus est. Etenim, si apertè pateret Raziam peccasse, quia in fine Christum inuocauit, per quem se resurrecturum certa fide sperauit, saluus adhuc esset. Pone enim aliquem sibi uerè mortem consciuisse, quem id egisse in fine pœnituisset, non ne saluus esset? PRO Scriptum qui-

†Eccle. 18. dem est usq; ad mortem posse iustificari animas nostras.† Sed pœnitentia non adest. CAM. Datam sanctis uiris esse Augustinus, quem tu citas, alio in loco respondet.† PRO. Homo Augustinus est.

†De ciuit. Dei lib. 1. c. 25. CAM. Sansonis historia perspicue hoc docet, qui semetipsum interfecit, & tamen inter Sanctos connumeratur.† PRO. Inspiratione Dei mortuus est Sanson. CAM. Vnde hoc hauris? PRO. Augustino teste loquor, cui placuit eam ob causam sic esse præsumẽdum, quia uidemus Sansonem miracula feciſſe. CAM. In eodem tamen cõtextu legimus Sansonem ignoraſſe, Deum receſſiſſe ab eo. PRO. Orauit tamẽ postea Sanson. CAM. Quid dixit? PRO. Domine Deus meus memento mei, & redde mihi fortitudinem priſtinam, Deus meus, ut ulciſcar me de hostibus meis, & pro amiſſione duorum luminum, unam ultionem recipiam. CAM. Comparentur quæso orationes iſtæ, ut uideamus an Raziæ oratio, qui nullam uindictam appetebat, quin potius corpus ſuum propter Deum contemnebat, charitate magis referta fuerit? Hac plane charitate motus Laurentius Chriſti miles dixit, uolue, & manduca: ſed quid uerbis moror? dic amabo cur Auguſtinus Raziæ factum improbauit? PRO. Quia mortem ſibi conſciuit. CAM. Non'ne idem Auguſtinus multas ſanctas in amnem ſe propter Chriſtum proieciſſe teſtatur, quarum martyria in Eccleſia catholica ueneratione celeberrima uenerantur? †

†De ciuit. Dei lib. 1. c. 25. Quid cauſæ? num quia præſumendum eſt ſic eis à Deo iniunctum fuiſſe? cur non & Raziæ, qui tanta ſanctitate pollebat, ut iure merito pater Iſraelitici populi appellaretur? PRO. Voluerunt illæ ut earum uirginitatem ſeruarẽt, in amnẽ prodere. CAM. Perſeuerare quoq; Razias uolebat. PRO. Moueor tertio loco, ut nullo pacto liber ille recipi poſſit, quia in fine hæc uerba cõtinet. [Ego quidem faciã finem: & ſiquidem bene & ut hiſtoriæ competit, hoc & ipſe uelim: ſin autem minus digne, concedendum eſt mihi.] Num ego id credam, quod penes authorem hiſtoriæ dubium eſt? CAM. Quis

uos non irrideat, dum non erubescitis humilitatē Iosephi sic loquentis in culpam conuetere? Non quidem latere uos puto Hieronymum his uerbis uirum hunc, qui historiam hanc scripsit, in libro de uiris Illustribus commendasse. Alius liber eius ualde elegans habetur, in quo & Machabæorum sunt digesta martyria. Etenim si Iosepho historiæ illius authori in his quæ recenset credendum non est, cui credendum sit non uideo.

CAPITIS VNDECIMI §. I.

Neq; Machabæorum libros, neq; cæteros in Biblijs comprehensos apocryphos hodie esse hoc loco ostenditur.

PROTESTANS. CAMERARIVS. RHETOR.

DICAM deniq; Machabæorum librum apocryphum esse, ac Hieronymum et Augustinū nos sequi oportere, quibus placuit, ut siquis contenta in libro illo uult credere credat. † CAM. Nullum librum hodie apocryphum dici posse in libro de uera Ecclesia Dei perspicuè ostendi. † PRO. Versutior es ipsa figuli rota, modo enim ad hunc, modo ad illum librum idcirco cōfugis, ut nec in uno, nec in alio ueritas ipsa legi possit. CAM. Describam igitur ea, quæ ibi scripsi, ut os tibi obstruatur. PRO. Perge. CAM. Disputatio, quam eo in loco cum Rhetore instituī, ita habet. Pleno quidem ore & sanctos & canonicos illos esse diceretis, si uestris commentis suffragari possent: Verum quia frenum ori uestro imponunt, quandocunq; à catholicis patribus citantur, apocryphos esse confestim acclamatis, ignorantes fortasse quid sit apocryphum librum esse. RHET. Illos apocryphos ueteris testamenti libros nos uocamus, qui in canone hebræa

† Aug. in epi. ad Gauden. c. 23.
† In canone c. 2.

synagogæ scripti, ut pro lege stent haudquaquã inueniuntur. CAM. Probè, modò & illud addas, quippe eam ob causam in canone positos non esse, quia eorum occulta origo non patuit patribus, scripsisse nanq; Enoch Iudas Apostolus testatur, nec proinde in canone liber ille scribitur, eò quòd an ille esset, quem Enoch scripsit, minimè poterat inueniri. † RHET. Dem ista. CAM. Si hæc fateris, eue stigio confiteri compelleris, ut quomodo ecclesia nostra, si illi quadam successionis serie librum illum Enoch fuisse constaret (quanquam in canone Hebræorum non est) canonicum eum facere hodie posset: eodem & reliquos quorum originem sciret, & nil falsum continerent. RHET. Dimissis his uestris syllogismis, eos canonicos duntaxat libros nos esse dicimus, quos in Hebræo canone contineri Hieronymus testatur. † CAM. Totum igitur testamentum nouum, quod ipsi excludunt, eis apocryphum erit. RHET. Sit ita. CAM. Quædam ergo nobis canonica esse poterunt, quæ illis non sunt. RHET. Non tamen ex his, quæ ante Christum Hebræa lingua scripta erant. CAM. Potentior'ne Hebræorum, quàm Apostolorum ecclesia fuit, ut illis canonicos libros facere uel non facere licuerit, Apostolorum uerò Ecclesiæ non item? RHET. Absit ut hoc dicam: atqui nil ueteris testamenti ab Ecclesia recipi posse, quod Dei digito Israelitarum tempore non fuerit scriptum, mordicus contendo. † CAM. Reiciamus ergo hos, quos habemus Mosis libros, eò quòd illi, quos Dei digito scriptos esse constabat, flammis excussi fuerunt. † RHET. Sat est Spiritu sancto dictante Hesdram esse locutum. CAM. Si isthuc considerandum est, multo magis dicemus Ecclesiam christianam, in qua Dei spiritus regnat, † nobis præcipere potuisse, ut libros hos tanquam canonicos haberemus. RHET. Spiritus certè sanctus in Ecclesia regnabat, quando hos libros ad ædificationem plebis legi posse Ecclesia principio permisit, non'ne? CAM. Ita est. RHET. Cur igitur Spiritus sancti huic

† Aug. de ciuit. Dei lib. 15. ca. 23.

† Hier. in Prouer. Salom.

† Exodi 31. d.

† Irenæus et oës.

† Matth. 12.

ſententiæ Romana Eccleſia contradicere non erubuit, quando ſanctos libros canonicos deinde facere conſtituit? CAM. Non quidem me latet, Cyprianum, cæterosq; antiquos patres in tres ordines libros omnes fuiſſe partitos: hoc eſt, ut quidam canonici eſſent ab Iſraelitarum canone & noſtro approbati, ex quibus aſſertiones ueræ fidei conſtarent; in quibus magna pars librorum à te acerauata minimè continebatur. Quidam uerò Eccleſiaſtici dicerentur; hi nimirum, quos uos apocryphos iniuſte uocatis, quandoquidem, ſi propoſitio hæc uera eſt, omnis liber apocryphus extra canonẽ eſt, non continuò, ſi Origeni credimus, altera uera erit: Omne quod extra canonem eſt, apocryphum dici debet; † quandoquidẽ ſi Enoch liber fidedigno teſtimonio ad Eccleſiam ſic perueniret, ut falſitatis ſuſpectus non eſſet, licet in canone non ſcribatur, pro canonico haberetur. RHET. Dem hoc. CAM. Si huic ſententiæ ſubſcribas, eueſtigio Auguſtinus addet hos libros non ſolum canoni, ut in eccleſia legerentur, addere Eccleſiam potuiſſe, uerum etiam iubere, ne ſententias librorũ horũ, quas audiebant, repudiare liceret. † Sic enim et hi qui proximi Apoſtolis fuerunt, tractatores egregij, cum ſapientiam in teſtem afferebant, nil ſe adhibere niſi diuinum teſtimonium crediderũt, † reliquos autem libros apocryphos eſſe eodem Cypriano teſte iuſſerunt: qui ne in eccleſia paſſim legerentur, inhibuerunt, niſi quiſpiam non ad dogmatum ueritatem, ſed ad aurum è luto quærendum eos legere uellet, quo deinde iudicare potius de illis, q; eos ſequi quiret. Hæc Cypriani ætate facta ſunt, † non ne? RHET. Vera ais. CAM. Noſti quoq; non longe poſt concilium Carthaginenſe tertium, anno 417. in Spiritu ſancto congregatum, omnes, quos tu enumeraſti libros in canone eccleſiæ ſcribi, ac tanquam canonicos haberi mandaſſe, præter tertium et quartum Heſdræ, quos in canone concludi noluit, præcipuè hoc argumento oſtendens, canonicos à cæteris non canonicis non caſu, ſed ratione tunc eſſe di-

† Orig. hom. 1. ſup cantica.

† Aug. de p̃deſt. ſanct. c. 14.

† Aug. vt ſupra.

† Cyprianus in ſymbolũ Apoſtolorum.

ſtinctos. Quæ cum ita ſe habeant, quid impedimento Eccleſiæ catholicæ eſſe potuit, quin ipſius authoritate, quæ iudex legitimus eſt diſcernendi leproſum à mundo, cum comperiſſet nullam ſuſpicionem falſitatis in eis eſſe; cognouiſſetq; librorum authores, illos codices in canone Eccleſiæ chriſtianæ aggregare potuerit, qui in canone Hebræorum non erant? Porro an Proteſtantibus poteſtatem hanc tribuerunt, ut dicant, nil in apocryphis libris, quod falſum non ſit, inueni? num hæc ratio patres mouit, ut illos ab Eccleſia eliminarent? Sanè non, quandoquidem & Paulus propterea apocrypha citabat, † quia mixtim ueritas inter multa falſa in eis continebatur, quòd ſi non omnino falſi, iam liquet quædam in eis inueniri poſſe, quæ ſi non habent canonicam authoritatem, habebant tamen canonicam ueritatem, † quam in his præſertim controuerſys catholicæ Eccleſiæ hærentes ſequi deberetis, in quibus apertum ſcripturæ teſtimonium non habetis. Hinc ſanè factum eſt (Hieronymo teſte) ut hi libri ſancti ad ædificationem in Eccleſia legerentur, tametſi pro canonicis illo tempore non haberentur: † in quo à patrum commentarijs tunc differebant, quæ in eccleſia non legebantur, ſed tanq; ea, quæ Eccleſiæ fidem tutabantur, cum ueneratione detinebantur. At quid ſi darem minimè canonicos ſed ſanctos duntaxat illos libros adhuc eſſe; non'ne erubeſcre deberetis, cum hos ſanctos uiros pro controuerſys noſtris decidendis afferimus, eos uos ſaltem ne iudices inter nos ſint, excludere contendatis? Num Turcam conſulemus, ſi neq; catholicam eccleſiam in iudicem admittiti s, neq; Sinagogam ueſtram iudicem eſſe decet? non quidem aliud agere hoc eſt, q; in propria cauſa uelle iudicare, atq; mendacia ueſtra propria perfidia, potius q; ſcripturæ teſtimonijs uelle determinare, dum omnes iudices, quantumlibet ſanctos, ſuſpectos habetis: quod non mirum. Siquidem & Martinus antiquorum hæreticorum æmulator, id principio ſibi uendicauit, quod omnes hære-

† Vide Hier. in epiſt. ad Ephe. c. 5. ſuper verbis illis, ſurge qui dormis.

† Hier. ad lotam Aug de ciuita. Dei lib. 15. c. 23. Orig. hom. 1. ſuę cantica.

† In proœmio Prouer.

¶ Stare iſta ſimul, vt lib. apocryphus ſit, et nihilominus veras Theologicas ſentẽtias cõtineat.

¶ Differentia inter ſanctos libros, et commẽtaria Doctorum.

¶ Cur Hæretici nudæ ſcripturæ hærent.

tici obtinere perpetuò nitebantur: nempè ut posthabitis commentarijs omnibus, nudæ scripturæ subiecti essent: cuius interpretationem eam ob causam sibi reseruabant, ut Satanæ spiritu ducti, nouum potius symbolum, nouam dæmoniacam editionem promulgarent, quàm ueterem elucidarent. Hinc certè factum est, ut quidam ex patribus uestris, non partem, sed integrum uetus testamentum negarent,† quidam magnam noui partem: quidam denique totum negare uellent: quibus Martinus in faciem se restitisse inquit.† RHET. Quam possumus concilio Carthaginensi fidem adhibere, in quo multi libri à concilio Laodicensi excluſi, pro canonicis recipiuntur? aut enim unum, aut aliud, aut utrunque mentitur. CAM. Num quia Spiritui sancto, & Apostolis uisum est gentibus præcipere, ut abstinerent à contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, & suffocato: proinde gentes mendacij Spiritum sanctum & Apostolos accusare potuissent, quòd partem legis tanquam integrã prius sibi tradidissent? RHET. Minimè. CAM. Eodem itaq; modo, nec uos Spiritum sanctum accusabitis, si non omnia simul ecclesiæ pro lege dedit. Sic enim Abraham in dies profecit.† & ecclesia quæ suo tempore, atq; Isaac & Iacob, nomen Dei Iehouah ignorabat, Mosis tempore intellexit.† Itidem & ecclesia, quæ certo tempore epistolam ad Hebræos, & alteram Iacobi non recepe-rat, alio accepit.† Et cum tria haberet uno tempore euangelia, quatuor deinde post Ioannis euangelium suscepit.† Non quidem nouum est ut ecclesia, quæ quasi aurora consurgens de die in diem augetur,† etiam de ipsis Prophetis dubitauerit, consilium à Domino quærens, quomodo ueros Prophetas cognosceret, si quidem homines illi erant, qui & Spiritu sancto loquente scribere poterant, & absq; eo etiam loqui, quos tunc Spiritu sancto dictante esse locutos cognouerunt, quando eis spiritus futura, quæ impleta sunt, reuelauit, non sufficiunt ista? uestra confessione hoc ne negetis. siquidem

¶ Lutherana obiectio circa varietatem canonicorum inter Carthaginẽse et Laocẽse hoc loco excluditur.

¶ Ratioquare hi libri q̃ prius ab ecclesia tanq̃ canonici non habebantur, canonici dei facti sint.

† Aug. lib. 1. re tract. c. 9.

† Vide in dial. de vera eccles. dei.

† Gen. 12. usq; ad caput 23.

† Exod. 6.

† Hier. in arg. epi ad hebr.

† Vti paulò ant dictũ c. 1. fuit.

† Canti. 6. c.

dem aliter sentiendo, illam Martini chimæram in medium afferre non possetis, quippe quòd eius euangelium sub scamno latuerit, lucidiusq; nunc sit, quàm Apostolorum tempore fuerit, nisi hoc antecedens detis, quippe Ecclesiam paulatim edoceri posse. RHET. Vis uidere q̃ manifestum sit conciliũ Carthaginense errasse? Expende rogo concilium illud quinq; libros Salomonis approbasse: qui quinq; esse non possunt, nisi cum Prouerbijs, Cantica & Ecclesiastes, Sapientia & Ecclesiasticus quoq; connumerentur. CAM. Quid tum deinde? RHET. Quanquam liber Sapientiæ, an Salomonis esset, illo tempore dubitaretur, si quidem multi Iesu Sirach esse contendebant: Ecclesiasticum tamen, Iesu Sirach fuisse apertissime constabat. CAM. Minimè concilium Carthoginense, aut Sapientiæ librum Iesu Sirach abstulit, ut illum Salomonis libris non iure aggregaret: aut Iesu Sirach librum aufert, ut illum Salomoni det. Sed quia propter magnam sententiarum similitudinem, ac scribendi ordinem, multi Salomonis illum esse contendebant, Ecclesia rem hanc quasi digito ostendens, libro Ecclesiastici, titulum Iesu Sirach posuit, alterum uerò Salomonis esse declarauit, & ambos in canone poni iussit, † quid mali fecit? RHET. Eam authoritatem Ecclesia Romana, & Concilia in suo nomine congregata his libris, ut canonici fierent, præstare potuit, quam habebat: ergo nullam. CAM. Cur nullam? Ecclesiæ nanq; potestatem hanc esse, ut libros illos deligat, quibus in omni re christiana dirimenda uti debeamus, paulò post sacræ scripturæ testimonijs ostendam. † Interim uerò patres omnes legite, à Clemente, Iustino, Areopagita, Tertulliano, & Irenæo, exordium sumentes usque ad nos: ut postq; eos legeritis, eue stigio hos libros, siue quando sancti habebantur, siue postquàm in canone recepti fuerunt, tanquam legem Dei ab eis esse citatos perspicuò cernatis. Res quidem est, quæ spatio horæ unius ostendi potest, locos quos citant in margine librorum scriptos legendo, ut

† Aug. de doct. christ. c. 8.

¶ Negãt ecclesiæ authoritatem.

† De vera eccle. Dialogo 3.

UNIVERSITY of PENNSYLVANIA LIBRARIES

deinde Hieronymi authoritate, quem uos in re hac sequimini, ori uestro digitum imponatis. Ipsi enim placuit, sat esse authenticos illos libros, qui uel quotidie ecclesiarum lectione celebrantur, aut à patribus passim citantur, † & hoc quidem rectè, cum & hoc approbare sit. Quæ cum ita se habeant, iam patet librum Machabæorum minimè apocryphum, sed canonicum esse: qui, si canonicus non esset, ad huc eam ob causam, eorum quoq; mentem, qui illum canonicum esse negarent, ad credendum purgatorium mouere deberet, quia in controuersys uno uel alio modo explicandi scripturas, sanctos uiros inter nos iudices esse decet.

† In prolo. epist. ad hebræos.

CAPVT DVODECIMVM.

Ab Apostolorum tempore Ecclesia pro mortuis orauit, quod non feciſset, si purgatorium non esset.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

¶ Argumẽ. 12. pro purgatorio.

NON uis testimonio libri Machabæorum fidem adhibere testanti, Israelitas pro defunctis & orasse, & eleemosynas erogasse? Ecclesiæ apostolicæ crede, quæ ab ipsis Apostolis pro defunctis orauit. PRO. Qui huius rei testes fide digni sunt? CAM. Dionysius Areopagita Pauli discipulus: † Clemens, qui se hoc à Petro accepisse testatur præcipiente, ut pro defunctis oraret: Isidorus, & Tertullianus, † Ambrosius, † Chrysostomus, † Hieronymus. † Augustinus in locis paulò post citandis, et post eos Græcorum ecclesia tota, quæ & si aliquo tempore de re hac disputasset, perpetuò tamen pro defunctis orauit. PRO. Ecclesiam pro defunctis orasse non contradico, modo tu fatearis neq; uerbi Dei, neque exempli, quod ex sacris literis assumatur, orationem hanc autho-

† In lib. de resurrectione carnis.
† In lib. de ppar. ad missam. pri. Cor. 3. et vbiq.
† In Ioan. homel. 84. alt. ho. 25
† Sup Ioan. vlt.

ritatem habere. CAM. Petri martyris cauillatio hæc est, qui adeo authoritatẽ ſuam magnifecit, ut cætera etiam Apoſtolorum authoritate demandata, prophana ſibi uiderentur. PRO. Facilè quidem mouentur homines quadam naturali charitate impulſi, & amore in defunctos, ut illis bene cupiant: & in aliquas preces pro eis erumpant: ſed affectio hæc uehementior, uidendum eſt ne fidei & iuſtæ pietati aduerſetur. CAM. Eò calamitatis Petrus martyr deuenit, ut tam de fide Apoſtolorum, q; totius catholicæ atque apoſtolicæ Eccleſiæ, ne factis inanem eam feciſſent, dubitauerit: ac charitatis Dei uice, humanam propoſuerit. PRO. Propterea ſic loquitur, quia illa cauſa, citra purgatorium, eſſe potuit, ut pro defunctis in Eccleſia preces fierent. CAM. Quænam hæc cauſa eſt? PRO. Noluerunt illi defunctorum nomen & memoriam facilè interire, ſed curarunt inter fideles eam, quàm diutiſſime ſeruari: deinde preces illæ eò ſpectabant, ut gratias Deo agerent, quòd defunctos illos ex hac miſera uita reuocauit. CAM. O ſingularem ſtultitiam, ut Eccleſia dicente, cum orat, Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei: Petrus martyr Eccleſiæ orationem, hunc in modum interpretetur. Sed ò quam infandum deliꝛrium, ut ipſe pater, qui pro filio preces effundit, humana charitate moueatur, ut dicat, Gratias tibi ago Domine, quia filium meum occidiſti, ne in miſeriꝛs uitæ huius uitam duceret: & non potius ſuperna charitate motus lachrymis obſecrans requiem animæ filij ſui dari petat. PRO. Non'ne utrunq; Ambroſius faciebat? CAM. Vtiq;, ſed memoriam ſanctorum pro gloria Dei habendam eſſe aſſerebat, ſimul & pro animabus, quæ in purgatorio erant, perpetuò orabat. Sat quidem mihi eſt, uos ingenuè hoc confiteri, nempe Eccleſiam omni tempore pro defunctis oraſſe, quemadmodum poſt Clementem, Dionyſium, & alios, quos dudum aceruaui, Tertullianus, Origenes, Athanaſius, Ambroſius, Epiphanius, &

Damaſcenus, Gregorius Niſſenus, Theodoretus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Paulinus, Gregorius Papa primus, Iſidorus, Beda, Aimo, Anſelmus, & poſt hos Scholaſtici omnes teſtantur. Non quidem uobis ad conſuetum aſylum confugere hac in re permittitur, ut dicatis, homines iſti ſunt ſcripturam interpretantes: nolumus eorum peruerſas opiniones ſequi: nam de ipſa eccleſiæ conſuetudine probanda hic agitur, quam probare per eos homines neceſſe eſt, qui omni exceptione maiores ſunt. Ecce noſtros teſtes iam uides, qui clara uoce pro requie animarum, quæ in purgatorio ſunt, eccleſiam orare teſtantur. Suos teſtes Petrus martyr producat, qui aliam ob cauſam ſuo ex capite paulò antè excerptam, Eccleſiam oraſſe teſtimonium dent. Hoc certe ſolo argumento, ſi nulla ſcriptura diceret, purgatorium ignem eſſe, purgatoriũ crederem. O petra duriſſima, cur dum ſcribendo, concionando, & ratiocinando purgatorium nõ dari palam omnibus perſuadere dolo conaris, hoc ſaltem nõ dicis, Scitote fratres omnem controuerſiam, quæ inter nos & eccleſiam Romanam de ipſo Purgatorio eſt, hoc uno ſaltem argumento ceſſare, quia Eccleſia pro his, qui ſunt in purgatorio, ab Apoſtolorum tempore perpetuò orauit, eleemoſynas elargita eſt, & alia ſupererogationis opera impendit. PRO. Illum ſaltem Campanarum ſtrepitum te damnaturum non dubito, qui nil mortuis prodeſſe poteſt, ſed uiuentibus clericis, ut ſolita auaritia utentes, non purgatorium, ſed pagatorium defendant. CAM. Neminem Lutheranorum præſertim idiotarum uidi, qui hæc obſcœna uerba ſatis prompta cum riſu in ore non habeat: non ne pagatorio opus eſt, ut eis ſtipendia ſoluantur, quibus pulſandi campanas cura eſt? PRO. An'ne, ut hæc campana decem ſolutis libris, illa uiginti pulſentur? Num ut pro campana maioris eccleſiæ centum libræ penſitentur? Num ut pro una hora decem, pro tribus triginta? uti Lutetiæ fit. CAM. O uos miſeros, qui his nænijs animas

Campanæ.

uestras perdere nitimini, non'ne tempus & pecuniam diuisionem recipere debere Iurisc̃osultis placuit? non'ne Ecclesia, quæ has exactiones introduci prohibet, consuetudine introductas approbat, ut clericis, qui huic officio seruiunt, canonicam portionem, unde uiuant, habeant? † non quidem sacerdotibus ueteris testamenti, uel Apostolis hoc interdictum fuit, quin potius permissum, ut qui altari seruiunt, de altari uiuere debeant. † PRO. Quid mortuis prodest? CAM. In primis, ut si qui campanas audiunt, hoc signo secundum Ecclesiæ fidem eos, pro quibus pulsantur, defunctos esse intelligãt, intelligendóq; , quanto diutius campanarum sonum audiunt, tanto maiori cum charitate pro defuncto ad orandũ incitentur: hoc enim tam honori defuncti, quàm saluti animæ eius conducit. Deinde ut quomodo uiuentes, ne ipsi & corpus quod infertur, iniuria afficiantur, patres imitando, qui magna pompa in funeribus defunctorum utebantur, ipsi quoq; ex campanis & exequijs, quandam animi consolationem sentiant, omnia in Dei gloriam dirigentes.

† c. certificari extra de sepul.

† 1. Cor. c. 9.

CAPVT XIII.

Alio argumento purgatorium ex scriptura probatur.

CAMERARIVS. PROTESTANS.

IS tu Abraham, Isaac, & Iacob cæterosq; patres nostros in uirtute passionis Christi redemptos esse? PRO. Aio. CAM. Iesum spoliasse Limbum, ipsumq; clausisse? PRO. Aio. CAM. Pœnam'ne illi in limbo manentes aliquo modo sentiebant? PRO. Dilationis duntaxat gloriæ dolorem sentiebant, non autem pœnæ sensibilis pro peccato. CAM. Quo in loco manebat anima Lazari, anteq; resurrexisset? PRO. Hoc ego ignoro. CAM. Non quidem in cœlo erat: si quidem Christus post resur-

rectionem cœlos aperuit.† non in inferno, ubi nulla erat redemptio: ergo in purgatorio igne erat. PRO. Ego uerò in limbo fuisse dico. CAM. Quis tibi hoc reuelauit, eundem ignem, in quo peccatorũ pœnas pensitamus illo tẽpore non fuisse? PRO. Quis tibi fuisse? CAM. Quoniam nemo est, qui purgatorium postea cœpisse dicat, nec deterioris conditionis baptizatos esse fateri debemus, illis, qui ante aduentum Christi post circunciſionẽ peccabant: utriq; sanè in uita pœnitentiæ donum obtinuerunt, utriq; ex æquo pœnas dederunt. PRO. Qui erant, qui in limbo manebant? CAM. Illi, qui pœnam peccatorũ iam remissorum, soluere non obligabantur. Vis manu tangere Lazarum in limbo non mansisse? PRO. Hoc maximè opto. CAM. Si Lazarus in limbo manebat, in quo non solum nullum dolorem pro peccatis patiebatur, uerũ etiam ob spem gloriæ futuræ ualde gaudebat, cur Iesus non modo pro Lazaro orauit, sed etiam lachrymatus est? num frustra? PRO. Peccatorem in persona Lazari iutelligimus, qui Iesu orationibus & lachrymis resurgit. CAM. Num solius Lazari Deus? PRO. Omnium resurrectionẽ præsignauit. CAM. Typus igitur fuit lachrymarum, quas in ecclesia Dei pro mortuis orando iusti effunderent, ut eorum oratione et lachrymis, in passione & lachrymis Christi peccatores mortui à pœnis spiritualiter resurgẽtes, uitam æternam apprehenderent. PRO. Non'ne in uita Christi poterãt orare, ut à purgatorio igne soluti in limbũ intrarent? CAM. Pro paucis Iesus orasset, et non pro tota ecclesia sua. PRO. Quid si ita esset? CAM. Purgatorium ignem dari tu confiteris. PRO. Dicere possem etiam illud Christi passione extinctum esse. CAM. Idcirco limbum Iesus clausit, ut ostenderet nullum deinde impedimentum supereſse, quin hi, qui culpa & pœna carebant, in paradisum intrarent; non autem ut clauso limbo statim ignem purgatorij extingueret, diuersæ nanq; mansiones erant, longe inter se differentes: nec orthodoxi uiri testimonium aliquod hoc testantis legimus, ut

† Act. c. 1.

purgatorium ignem obliterauerit : contrarium autem ut ſtet, multis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs probauimus.

CAPVT XIIII.

Proteſtantium cauillatio, qua purgatorium negare nituntur.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

HÆC Salomonis uerba ſunt [mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas] ideſt ſupra dorſum pauperum, [quia poſt tempora multa] hoc eſt poſtq; morieris [inuenies illum] quaſi dicat, nil præter hoc poſt mortem reperies: quandoquidem [ſi ceciderit lignum ad auſtrum] ideſt ſi poſt mortem, iudicium tuum in ſalutem erit; hac metaphora auſtri caliditatem loci oſtendens, ut per eam homines ardentiſſima charitate refertos, qui diem obierunt, cõmonſtret [aut ad aquilonem] †hac metaphora damnatos oſtendens, qui abſq; charitate frigidi diem functi ſunt. CAM. Quid tu ex his uerbis inferre uis? PRO. Duo hi loci ſunt. CAM. Sint duo. PRO. Audi rogo, quid ſtatim Salomon ſubiungit, [In quocunque loco ceciderit, ibi erit.] CAM. Maneat ita. PRO. Fruſtra ergo tertium locum purgatory uos dari contenditis, qui nec in auſtro, id eſt cœlo, neq; in aquilone, ideſt perpetuo igne inferni ſtet. CAM. Ad auſtrum cadunt omnes hi, qui in purgatorium ignem intrant. PRO. Tres tu locos proponis, Salomon uerò duos. CAM. Pro uno hi duo à Salomone reputantur. PRO. Solus loqueris : nam de hoc in litera uerbum nullum. CAM. Sic eam intelligere neceſſe eſt. PRO. Quapropter? CAM. Ne dicamus ſanctos patres ueteris teſtamenti ad auſtrum non cecidiſſe, ante quam Chriſtus cœlos aperuiſſet. PRO. Limbum intrabant. CAM. Nulla limbi mentio in textu illo. PRO. Aliæ

Proteſtantiũ cauillationes

† Eccle. 11.

ſcripturæ hoc ſupplent. CAM. *Ad auſtrum ergo cadit, qui limbum intrat?* PRO. *Omnino.* CAM. *Duo igitur loci diuerſi ſub metaphora auſtri, ut fateris, continentur.* PRO. *Maximè.* CAM. *Rectè ergo & purgatorium ſub uno metaphoræ huius loco ſimul contineri ego contendo, ſi quidem & purgatorium uia ad aquilonem eſt, uia item & limbus.*

CAPVT XV.

Alia cauillatio, qua Proteſtantes purgatorium excludere conantur.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

ATTERIS tu eum duntaxat peccatorem purgatorio igne mundari, quem in uita peccaſſe pœnituit, non autem illos, qui obſtinati diē functi ſunt? CAM. *Ita eſt.* PRO. *Cur hoc aſſerere non erubeſcitis, Ezechiele dicente, ſi iniquus egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor?* † CAM. *Quis negat Deum culpæ omnium iniquitatum non recordari? De pœna nunc agimus, quæ remiſſa culpa penſitanda eſt. Non quidem litera dicit, uita uiuit, quaſi nil agendum ſuperſit, ſed uita uiuet, tempus futurum præſignans, quando conſumatis omnibus Domini mandatis, quæ ipſam pœnæ ſatisfactionem quoq; continent, mundus iam in paradiſum intrabit. Verborum Auguſtini memor eſto, cum ait, Multa enim mala uidentur ignoſci, & nullis ſupplicijs uindicari, ſed eorum pœna reſeruatur in poſterum.* †

† Ecclc. 18.

† Enchi. c. 66.

CAPVT

CAPVT XVI.

Proteſtantes, ut purgatorium eliminare poſſint, Salomonis uerba quædam, quæ eorum cauſam iuuare prima facie uidentur, in medium promunt, ſilentio prætereuntes ea, quæ ipſos condemnant.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

Proteſtantiũ cauillationes

MORTVI *nihil nouerunt amplius (Salomon inquit) nec habent ultra mercedem, quia obliuioni tradita eſt memoria eorum. Amor quoq; & odium, & inuidiæ ſimul perierunt, nec habent partem in hoc ſeculo, et in opere, quod ſub cœlo geritur: quibus* †Eccl.c.9. *uerbis apertè ſuffragia uiuentium mortuis prodeſſe poſſe negat.* † CAM. *Quoniam inciuile eſt, lege tota non perſpecta de aliquo iudicare, præter ea quæ Hieronymus rectè dixit, meo ſenſu hoc Salomonis teſtimonium explicabo, ut omnibus explanatis, nullum in ſcriptura apertiorem locum ad probandum purgatorium inueniri poſſe lectores uideant.* PRO. *Perge.* CAM. *Literam principio diuidam in partes duas, quarum altera de iniuſtis hominibus loquitur uſq; ad uerba illa, uade ergo: altera de iuſtis.* PRO. *Rectè, progredere.* CAM. *Optans Salomon iuſti atq; iniuſti ſtatus eccleſiæ recenſere, ac ſingula, in quibus uel conueniunt, uel differunt, ſummatim oſtendere, perſonas impiorum præponit, qui ut malam uitam ſuam cõmendabilem reddant, hunc in modum loqui incipiunt,* [*Sunt iuſti atq; ſapientes, et opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum reſeruãtur incerta*] *quaſi dicat,* Quis ergo gloriabitur in ſapientia ſua? Etenim non ſolũmodo peccatores, uerũ etiam ſapientes et iuſti incerti futuri exitus ſunt. [*hoc eſt peſſimum inter omnia, quæ ſub ſole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt*] *ut nudi naſcantur, nudi & intereant, incerti proprij ſtatus in uita, itidem & poſt mortem*

dum uiuunt utriq; ,ſint. Rex ſanè & pauper, ſapiens, & indoctus, iuſtus & iniuſtus, quid futurum ſit, ignorant: quando qui iuſtus fuit, ad iniuſtitiam conuertitur, peccator uerò ad pœnitentiam ſaltem in hora mortis adducitur. [unde] non ſecus, ac ſi dicat. Cum itaque hæc ita ſe habeant, non deſinunt mali, qui iſthæc cogitant, hunc in modum loqui: Quid homini prodeſt à uitijs abſtinere, ſapientemq; ab omnibus haberi, ſi iuſti atq; iniuſti idem eſt finis, & nemo ſui exitus certus eſſe poteſt? Satius certè erit ut peccatis indulgeam. [unde & corda filiorum hominum implentur malitia] donec ſibi ipſis in peccatis complacent. [& contemptu] cultus Dei atq; iuſtitiæ [in uita ſua] nolentes ſub incerta ſpe rectam uitam ducere. [Et poſt hæc ad inferos deducẽtur] quo tempore qui in ſua impietate mortui ſunt, nihil poterũt operari. At quia multi erant et nunc ſunt, qui dicunt. Sine me nunc luxuriari: quis ſcit, an ſtante incertitudine iſta, ſaluus fiam? Huic tacitæ obiectioni Salomon occurrens ſubiunxit. [Nemo eſt qui ſemper uiuat, & qui huius rei habeat fiduciam.] In uita igitur ſub hoc incerto ſtatu nos bene operari neceſſe eſt: ſiquidem homine mortuo, nil mereri poteſt: ad quod probandum addit, [melior eſt canis uiuus homine mortuo] ab ipſis animalibus exemplum ſumens, ut homini oſtendat in uita bene uiuendum eſſe, ut ſequitur. [uiuẽtes enim ſciunt ſe eſſe moritu ros,] ut in uita bona opera agant, per quæ ſalutem aſſequi poſſint [mortui nil nouerunt amplius] meritorie agere, ne dicamus Epulonem in inferno neſciuiſſe Abraham & Lazarum, atq; ex diuerſo Abraham & Lazarum non nouiſſe Epulonem: itidem & animas, quæ in cœlo ſunt, uiuentium facta. [nec habent ultra mercedem] nam neq; hi, qui in cœlo ſunt, neque hi qui in purgatorio manent, neq; ad æternum ignem dãnati, propter ea, quæ poſt mortem agũt, mereri poſſunt, tametſi merita iuſti in uita, poſt mortem durent, ut pro alijs in cœlo manentes exaudiantur. similiter hi, qui in purga-

torio ſunt, uiuorum merita eis ſuffragari poſſint: damnati autem neq; poſt mortem, neq; in uita ut poſt mortem mereantur: pro quibus damnatis, de quibus ſermo erat, non autem pro his, qui in igne Purgatory manent, ut oſtendat neq; ea illis prodeſſe poſſe, quæ uiui poſt eorum mortem operantur, uerba ſequentia ſubiunxit ⸢ Amor quoq; & odium & inuidiæ ſimul pereunt, nec habent partem in hoc ſeculo, nec in opere, quod ſub ſole geritur. ⸣ PRO. Subſiſte paululum Camerari, donec uerba hæc, ut decet, trutinemus, quibus aperte oſtenditur, nil uiuentium facta mortuis prodeſſe. CAM. De his hominibus ſermo huc uſq; eſt, qui in peccatis ſuis abſq; pœnitentia diem functi ſunt: hi nanq; iuſtorum & ſapientum ſtatum conſiderantes, ut carni indulgeant, hactenus locuti ſunt: atq; illis Salomon reſponſum dat, eis opera, quæ ſub ſole fiunt, prodeſſe non poſſe, hoc certè & nos clara uoce fatemur, ut hi obliuioni dentur tanquam mortui à corde. PRO. Quo authore ab hac ſententia eos excipis, qui in uita pœnitentiæ donum obtinuerunt? CAM. Omnia teſtimonia à me hactenus citata hoc docent, ut dicamus, nil ſupererogationis opera iniuſtis, qui in ſua iniuſtitia mortui ſunt, Salomone teſte, prodeſſe. His ergo proſunt ea, quæ prodeſſe ſcripturæ oſtendunt, qui pœnitendo mandata ſeruarunt; quando non ſolum ille iuſtus eſt, qui non eſt peruerſus, ſed ille quoq;, qui pœnitentia comite ad Dominum eſt reuerſus. † Oſtendit quoq; hoc litera ipſa, quæ uſq; ad uerba illa, uade ergo; de iniuſtis loquitur, deinde uerò de hominibus iuſtis. PRO. Experiamur ſi placet, quid ipſis hominibus iuſtis Salomon loquatur. CAM. ⸢ Vade ergo (ipſe inquit) & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio uinum tuum, quia Deo placent opera tua. ⸣ modo non ad modicum tempus ſed ⸢ omni tempore ſint ueſtimenta tua candida ⸣ quoniam ſcriptum eſt, Non niſi qui uſq; in finẽ perſeuerauit ſaluus erit ⸢ & oleum ⸣ gratiæ Dei quo unctus es ⸢ de capite tuo non deficiat ⸣

† Proſper in pſal. 118.

nam uti paulò post subiungit. Qui in uno peccauerit multa bona perdet. Verum quia homo ipse iustus dicere ei poterat, num hoc ita intelligis, ut in mundo manens nulla uoluptate honestè frui possim? sic respondet. [perfruere uita cum uxore, quam diligis, cunctis diebus uitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole] idcirco instabilitatis, quia septies iustus quoq; cadit in die, & resurgit, septies quoq; qui iustus est ad iniustitiam conuertitur, addens [omni tempore uanitatis tuæ] siquidem sub sole omnia uana [hæc enim] hominis iusti. [pars est in uita] ut his omnibus potiaris [& in labore tuo quo labores sub sole] ut uitam æternam sic uitam agendo possis promereri. Et idcirco omnibus loquor, ut unusquisque ea ratione uitam ducat, ut uitam æternam obtineat, & [quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas] si nil egeris in uita. Hanc enim ob causam dixit. Quodcunq; facere potest manus tua, ut nil eorum, quæ post mortem prodesse poterunt, omittatur, inter quæ pœnitentia peccatorum connumeratur, efficiens ut uiuorum suffragia mortuis prosint, sicut paulò ante probaui. Obseruent pij lectores, obsecro, Salomonem iam dudum, cum homini in sua iniustitia mortuo loquebatur, duo dixisse: nempe ut neque ipse opus manuum suarum habeat, neq; patrem, qui ei prodesse possit: quin immo, ut nil, quod sub sole est, ei commune sit. Hic autem dato consilio, ut quodcunque opus, quod facere potest, faciat, hæc postrema in his, qui sic operantur, tacet, bene ostendens, & propria opera in uita facta, & ea quoque, quæ à parentibus & ab alijs iustis sub sole fierent, simul eis, qui in iustitia diem functi sunt, prodesse. Ecce quod Salomon contra uos testatur.

CAPVT XVII.

Cum Protestantes omni auxilio destitutos se esse conspicerent, quo possent ulterius Purgatorium ignem negare, Augustinum de ipso Purgatorio igne aliquando dubitasse falso contendunt.

PROTESTANS. CAMERARIVS.

†Ench.c.69.

QVIS *in sacra scriptura* Augustino *doctior?* CAM. Nemo. PRO. *Cur igitur* Augustino *non subscribis dicenti hanc purgatorij quæstionẽ disputari posse?* † CAM. *Expedit ut principio uideamus utrum* Augustinus *purgatorium negauerit, an uerò illud statuerit: quandoquidem si illud negauit, frustra causam inquiremus, quare dixerit quæstionem hanc disputari posse. Si uerò purgatorium stabiliuit, tunc ratio, cur disputari posse hanc quæstionem dixerit, sedulo indaganda erit.* PRO. *Perge.* CAM. *Res perspicua est; pluribus in locis* Augustinum *in suis commentarijs scripsisse, tam mediatoris sacrificium, quàm uiuorum eleemosynas, & orationes pro mortuis Domino offerri posse, talemq; traditionem à patribus ecclesiam habuisse:* † *quemadmodum Clemens,* Dionysius, Damascenus, *&* Chrisostomus *testantur.* † *Quis enim* Augustinum *purgatorium negasse dicat, quando ipse tria purgatoria constituit: primum uoluntarium pœnitentiæ in uita; alterum afflictionum, quas sustinemus in uia, tertium ignis purgatorij post mortem.* † *Ille nanque est qui alio in loco dicit, alios in hac uita, alios post mortem, alios hic & ibi peccatorum pœnas soluere.* † *Ille inquam, qui integrum librum de cura habenda pro mortuis edidit: in quo omnes hortatur, ut preces pro defunctis cum Ecclesia, quæ perpetuò pro eis orat, Domino offerre non cessent. Libros denique retractationum Augustini legimus, in quibus hanc sen-*

†Aug.in lib.80 quæsti. ad lucidũ q.ij.Enchi. c.110.de sanctis ser.4.

†Clem. ĩ epi.ad Iaco.Dionys.de eccl.hierar.ĩ.2 pte c.7.Damascẽ.in ser.de defunct.Chrys.ad Philipp ser.3. in fine,et hom. 69.ad populũ Anthiochenũ.

† De sanct.ser.4.

† Lib.21.de ciu. Dei c.13

tentiam nunq; retractauit. PRO. Dabo ego Augustinum purgatorium ignem credidisse, modo tu fatearis idcirco Augustinum hanc quæstionem disputari posse dixisse, quia scriptura probari apertè non poterat; quod si dederis, Martini Lutheri opinionem illustrabis. CAM. Possem equidem unico responso quæstioni huic à te propositæ simul et Petro Martyri satisfacere, si dicere uellem haud quaquam mirandam rem esse, quædam principio commentariorum suorum Augustinum ignorasse, si quidem ipse testatur scribendo se in Theologica scientia profeciſse, † nec aliquo tempore dure accepisse se tanq; errantem hominem corripi, modo hæreticus nunquam esset, † sed uerius dicam Augustini uerba ponderanda esse, qui minimè dicit, an purgatoriũ sit dubitari potest: † aliter plane loquitur, scilicet ut disputari possit. & hoc quidem duplici ratione, altera nimirum quia multa disputamus quæ aliter denique credimus: altera ut Pauli exemplo, qui omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, hac loquendi ratione effecit, ut discoli pertinaces ueritatem agnoscerent, eamq; ob causam disputari de hac re posse permisit, illo uidelicet tempore, quo ecclesia adhuc lege in Concilio Florentino non demandauerat, ut unusquisq; purgatorium ignem & corde credere, & ore sic esse confiteri deberet. sperabat sanè Augustinus paulatim posse eos corripere, qui si tunc aliter sentiebant, errantes potius q; hæretici dici potuissent. At si postea de re hac interrogatus fuisset, tanq; hæreticos eos excluſisset, aliud cum sit quempiam errare, aliud spreta Ecclesiæ catholicæ authoritate obstinato corde aliquid credere. Primum enim corripit, alterum condemnat. † PRO. Quid si ab Ecclesia in reliquis non discederet? CAM. Adhuc si admonitus aliter sentiret, hæreticus esset. PRO. Quo authore loqueris? CAM. Hieronymo, cuius uerba hæc sunt: Quicunq; aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti efflagitat, à quo scripta est, licet ab Ecclesia non rece-

† Aug. i lib. cõfe. de dono pseue. c. 12. & 21.
† Epist. 162. Enchi. c. 21.
† Enchi. c. 69. & 80.
† Aug. epist. 162. Enchi. c. 21.

†Hier. ad Gal. c.5.

†24.q.111.c. maiores et Leo epi.22.

dat, hæreticus est, † putat nanq; homo hic duræ ceruicis ecclesiam in qua spiritus sanctus manet, posse errare. Quo fit, ut post conciliorum decreta, eiusmodi homines tanquam hæretici condemnentur. † PRO. Cur Apostoli in Symbolo, in quo limbi meminerunt, purgatorium credendum esse non addiderunt? CAM. Ea in symbolo continentur, quæ aut occultum Trinitatis mysterium, aut uisibile humanitatis filij, per quem in gloriam filiorum Dei accessum habemus, aut consumationem eorum, quæ promissa erant, ostendunt. PRO. Contendis ergo idcirco limbi eos meminisse, quia in scripturis sanctis promissum erat per Christum esse aperiendum: purgatorium uerò non item? CAM. Rectè. PRO. Non solum hoc Augustinus dixit, ut disputari possit, uerum etiam sub conditione locutus est, si datur: quod non dixisset, si purgatorium certo credidisset, adeo enim anceps in re hac erat, ut quid denique sustinere uellet, ignoraret. CAM. Petri martyris cauillationes hæ sunt. PRO. Quid tu ei respondes? CAM. Paulum quoq; sic locutum esse respondebo, cum dixit, si tamen iustum est apud Deum retribuere retributionem. Et alibi Petrus, si nos hodie iudicamur in benefactis. de quibus minimè dubitabant, non quidem simpliciter dixit, dubitatur si detur, sed disputari poterit si datur. Passim plane Augustinus ubiq; hanc sententiam confirmauit, quippe ut peccata minima, hoc est uenialia in hoc igne mundentur. Fatetur ergo purgatorium ignem dari. PRO. Non tamen pro solutione pœnæ mortalium peccatorum. CAM. Vbi tu legisti Augustinum hoc dixisse? PRO. Quædam exprimendo, quæ purgantur, cætera negauit. CAM. Nil certè hoc Petri martyris consequens ualet. si tamen scire tu optas, cur uenialia excurantur, mortalia uerò non, hanc esse inter hæc differentiam animaduertere debes, nempe quia uenialia, quorum nulla pœnitentia præcessit, in hoc igne purgantur, mortalia uerò pœnitentiam habeant pro culpa necesse est, ut

deinde pœna in igne iſto poſſit ſolui. PRO. Quis iſta teſtatur? CAM. Auguſtinus, cum ait, hi uerò qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, per flumen igneum, & uada feruentibus globis horrenda tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia: tanta & pertranſeundi mora: & quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex homine uendicabit quædam flammæ rationabilis diſciplina. † PRO. Nil de mortalibus loquitur. CAM. Non'ne dixit, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt? PRO. Potuit id quod tu de pœna mortalium contendis, exprimere. CAM. Audi quid idem Auguſtinus ſubiungit; Multi ſunt qui credunt, quòd ſi ſupra fundamentum Chriſti capitalia crimina ædificent, peccata ipſa per tranſitorium ignem poſſint purgari, & ipſi poſtea ad uitam æternam peruenire, contra quos paulò poſt ſequentia uerba ſubiungit. Quicunque enim aliqua de iſtis peccatis in ſe dominari cognouerit, niſi digne ſe emendauerit, & ſi habuerit ſpatium, longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemoſynas non erogauerit, & à peccatis ipſis abſtinuerit, illo tranſitorio igne, de quo ait Apoſtolus, purgari non poterit, ſed æterna illum flamma ſine ullo remedio cruciabit. † PRO. Concludit ergo Auguſtinus, eum, qui ſe emendauit, & ſpatium habuit pœnitentiam agendi, nec fecit, non poſſe in hoc purgatorio igne pœnam peccatorum ſoluere. CAM. Abſit hoc Auguſtinum ſenſiſſe, ſed hæc idcirco copulauit, ut ſacramentum pœnitentiæ nobis neceſſarium eſſe oſtenderet, in quo & hæc ſatisfactio pœnæ complectitur, quam ſi quis cum poteſt, contemptui haberet, uerum ſacramentum pœnitentiæ non eſſet. Ipſe nanque Auguſtinus ſic ait: ſiue ergo in uita tantum homines iſta patiuntur: ſiue etiam poſt hanc uitam, non abhorret, quantum arbitror, à ratione ueritatis intellectus iſte. † PRO. Hæc Auguſtini doctrina, Petri martyris ſententia purgatorium excludit. CAM. Quo nam modo? PRO. Siue in uia, ſiue poſt mortem, alternatiua eſt. CAM. Omnino.

† De verb. apoſt. ſer. 32. dũ declarat c. 4. ad Theſal.

† In ſerm. de ſanctis ſer. 4.

† Aug. ad Fr. in eremo ſer. 44. & 46.

Omnino. PRO. Vnicam ergo partem sufficit esse ueram, nimirum ut credamus in hoc mundo purgatorium esse. CAM. Dolo, non autem crassæ ignorantiæ hanc cauillationem adscribam. Num de modo credendi Augustinus tractat, ut satis sit hic uel ibi esse nos credere? sanè non; immò potius an hic uel ibi pœna soluatur: de qua re interrogatus, aliquando hic, aliquando ibi, aliquando hic & ibi solui respondit. † Audiant latrantes quæso, ut hunc dolum effugere discant. Si enim dixeris mihi, si aut Romæ, aut Venetijs decem pro pœna delicti solueris, esto liber, non'ne alternatiua promissio hæc est? PRO. Omnino. CAM. Quid si Romæ soluas? num propterea Venetiarum Vrbs esse desinit? PRO. Minimè. CAM. Et tamen Petrus martyr, quia Augustinus dicit, quòd siue hic soluam pœnã in uita, siue post mortem in purgatorio igne, liber & mundus sum. Si soluero in uita, purgatorium post mortem dari ipse negat. non'ne cachinnatione magna dignum hoc delirium est? Ecce quàm optime Augustinus uos condemnat. Nolite deinceps sub Augustini pallio uestras nænias tegere. Græcorum perfidiam oculis proponite: ea item legite, quæ ad negandum purgatorium ignem in Concilio Florentino attulerunt: legendoq; eorum uanas chimæras obseruate, ut deinde intra uosmetipsos dicatis, Deteriora certè ea, quæ nos considerabamus sunt: sapientiores nobis Græci fuerunt: qui si à Satana tentati ad tempus Ecclesiæ restiterunt, deinde in eodẽ Concilio, cui Bessarion uir doctissimus interfuit, palinodiam cecinerunt. PRO. Sat prata biberunt. Superest ut tibi dicam, uale. CAM. Cum Geneuæ eris, Saluere meo nomine Caluinum iube: eiq; quicquid hic actum est recense. Non quidem dubito quin correctione hos esse dignos iudicet, qui nobiscum de re hac disputare uolentes, nil præter quædam puerilia in medium attulerunt, cæteris uerò Protestantium Rabinis dic, me eos excusatos habere, si perpetuò eam ob causam mordicus purgatorium

† Vt supra.

negabunt, quia ipsi nullam spem purgandi sua peccata in igne illo habent. Veritati nanque dolo resistunt: quod peccare in spiritum sanctum est: cui obdurationem copularunt, ut neque in hoc neque in alio seculo remitti possit. Sic Deus eiusmodi homines punit, ut dum ueritati credere nolunt, detur eis ut credant mendacio.

DIALOGVS SECVNDVS

CAPVT PRIMVM.

Quot purgatorij ſpecies ſint, & quibus in locis peccatorum pœna penſitetur.

GVLOCTA. CAMERARIVS.

CVM iamdudum multas ſpecies Purgatorij te oſtenſurum ſpoponderis, age quæſo, ut tuo ex ore tam locos, q; tempora, & modos purgandi peccata, quorum culpa remiſſa iam eſt, paucis intelligam. CAM. Purgatorium, ubi pœnas peccatorum abſq; ullo corporis dolore penſitamus, lauacrum regenerationis eſt: tunc enim quia in ſanguine Chriſti ſummerſi, (qui peccata noſtra in profundum maris proiecit, †) peccatis morimur, & ab omnibus maculis mundati in nouitate ſpiritus ſic reſurgimus, ut nouus homo regeneratus rectè dicere poſſit, Languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portauit. † nullo purgatorio igne pro præteritis peccatis opus habemus. Si quidem certo ſcimus tam culpam, q; pœnam ibi eſſe deletam. GVLO. Datur'ne modus ſoluendi pœnam eorum peccatorum, quæ poſt baptiſmum committuntur? CAM. Non abſq; corporis cruciatu hæ peccatorum pœnæ delentur; hinc ſanè multa purgatoria à Domino conſtituta ſunt. GVLO. Perge, ut reliqua audiamus. CAM. Purgatorium ſecundum affligens mundus iſte eſt, in quo multifariam, multisq; modis pœnam peccatorum ſoluimus. GVLO. Age quæſo ut ſpeciatim ſingulos hos modos intelligam. CAM. Meminiſſe te autumo ab Abele uſq; in hunc diem paucos apertos homines, ſimplices, ingenuos, iuſtos, aut uiros bonos uiſos fuiſſe: uerſutos autem, obſcuros, atq; aſtutos innumeros. GVLO. Ita eſt. CAM. Scito igi-

Primũ Purgatorium.

†Micheas 7.

Baptiſma.

†Eſaiæ 53.

Secũdũ Pur

tur hominem homini propter iniustorum flagella purgatorium esse posse, sicuti Dauidi euenit, & multis iustis ab impijs afflictis. GVLO. Quid istud? CAM. Hi plane obscuri homines, iustis, eos affligendo, pro purgatorio pœnæ peccatorum perpetuò fuerunt. GVLO. Omnibus? CAM. Vtique. GVLO. Non quidem omnes homines affliguntur. CAM. Neminem iustum inueniri posse Augustinus censet, qui alterum malum hominem eum affligentem non habeat. † GVLO. Hos cruciatus audiamus. CAM. Quis enarrandi finis? GVLO. Quædam saltem quasi reliquorum exempla recense. CAM. Martyrium, quando ab impijs iusti occiduntur, principiò proponam, in quo non modò culpa, sed pœna quoq; peccatorum remittitur, uti Stephani historia docet, qui cœlos apertos uidit, & Iesum stantem à dextris patris: aliàs non ussurus, nisi pœna quoque ei remissa fuisset. Latronis item, qui ex ore Domini audiuit, Hodie mecum eris in Paradiso, nam scriptum est, nil coinquinatum posse in cœlorum regnum intrare. † secundo uero loco reliquas persecutiones addam, quas in mundo patimur, ut deleta culpa omnis pœnæ macula hac ratione auferatur. GVLO. Satis quidem cæteris prodesse reor, ut quas tu passus es afflictiones recenseas. efficies profecto, ut maiori cum patientia suas alij sustineant. CAM. Aliorum, qui me iustiores sunt, cruciatus obseruent. GVLO. Semel loquendo omnia narra. CAM. Quis eorum non misereatur, qui dum diuites esse solerent, propterea quia iustitiam sectabantur, uxore, patria, amicis, filijs, dignitatibus, ac bonis omnibus spoliati sunt, & cum iniquis ab iniquis reputati? Ferreum'ne cor aliquod reperiri poterit, quod aduersam fortunam hominis, qui fodere nesciens, ac mendicare erubescens, & panem, quem quæritat plerunq; cum fletu miscere compellitur, non misereretur? Quis non lachrymas effundere cogatur, si eorundem uxores diuites eò calamitatis ueniisse conspexerit, ut cum Thobiæ uxo-

Martyrium.

† Aug. hom. 29.

† Apocal. 21.

Persecutiões et cætera q̃ in hoc mũdo patimur.

re ad opus textrinum ſeſe conuertere coactæ ſint, itaq; de labore manuum ſuarum uictum, quem conſequi poſſunt, referant? Porrò non'ne parentibus purgatorium eſt, cum turbato mortalitatis ordine filij in ipſa perſecutione ante patrē diem obeunt, et tamen ad Chriſtum conuerſi cum Iobe ſummiſſe dicunt, Dominus dedit, Dominus abſtulit. Si bona de manu eius accepimus, cur non & mala ſuſtinebimus? Quid de illis dicam, quos natura corde & uiribus fortes genuit, & tamen cum eos uiliſſimi quoq; homines compellunt, maximas iniurias Chriſti nomine perferunt? non'ne purgatorium hoc illis eſt? num diſcolis monachis, qui intra monaſterij parietes ſe continere nolunt, purgatorium domus illa eſt, cum exeundi poteſtas à prudentibus Prælatis eis aufertur? Non'ne contrà, uita diſcolorū fratrum, pijs purgatorium eſt, dum quibuſdam dæmoniacis inſidijs pias religioſorum mentes tribulationibus, quas parant, à conſueta pace ſic abducunt, ut eos plerunq; tædeat uiuere. non'ne in iſtis ſententiam illam Auguſtini ueracē eſſe manu attrectamus, cum ait, neq; peiores homines ipſis malis monachis, neq; meliores ipſis pijs monachis ſe in mundo uidiſſe? Num cæteris anachoretis, ſicut et Hieronymo, purgatorium eſt, quando opiparis apparatibus neglectis, panem, aquam, caricas, & herbas, dapes ſibi eſſe eligunt: ac pro lecto eburno herbis, & frondibus ſtramēta ſibi inculta ſuper terram faciunt? Num inſuper & alijs qui Hieronymum imitantes, modico ſomno contenti, reliquum diei tempus quod ſupereſt, aut orationi, aut ſacrarum literarum ſtudijs, non eam ob cauſam impendunt, ut docti apud homines habeantur, ſed potius ut diſputando atq; ſcribendo, ſi qua eis à Domino reuelata ſunt, fratribus ob chriſtianam pietatem communicare poſſint? non'ne acerrimum purgatorium, ſi ſpreto maximo podagræ cruciatu, qui uoces, lachrymasq; ſimul emittere eos plerunque compellit, ſummis uigilijs perenniq; ſtudio, magna cum animi alacritate, his in rebus ſuam uoluntatem

occupant? Num pijs mulieribus immorigerati uiri, filiorumq; generatio atque educatio, purgatorium non sunt, ut hac ratione uitam ducentes, per fidem & partum saluæ fiant? † Num rusticis purgatorium non erit, dum fodiendo uix sibi & uxoribus, ac filijs panem quærituræ possunt: illum deniq; si habeant, aut milites, aut hi qui deteriores ipsis militibus sunt, ab eorum faucibus ui illum eripiunt? Non'ne pro his rectè scriptum est: homines & iumenta saluabis domine? † Quid deniq; dicam? omnem animi immensum dolorem, si in Christum referatur, purgatorium tale esse, quale martyrium sanguine fuso est. sic enim acutus gladius Mariæ pertransiuit animam. † His summam peccatorum contritionem addo, ut contritio illa uehementissima, mundi huius purgatorium sit. Dominus nanq; dixit, Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. † GVLO. Quid si Magdalenæ dolor non adsit, ut multum doleat, doleat tamen sæpe? CAM. Scis Gulocta, sola contritione nobis culpam peccatorum hoc modo remitti, ut æterna in temporalem cõmutetur, sicut scriptum est, Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei. † pœna uerò, quæ contritione non adeo magna, adhuc remissa non est, clauium uirtute à sacerdote, qui confitentis peccata audit; ex parte remittitur. Ita quidẽ ut sæpe confitendo omnis pœna remittatur. † GVLO. Erit igitur absolutio ipsa, quæ à sacerdote fit, purgatorij spes una. CAM. Omnino. GVLO. Quid si corde contrito post confessionem sæpe eum peccasse doleat? CAM. Si prima contritio, culpam et pœnam æternam in temporalem pœnam commutari obtinuit, ne frustra sæpe conteratur, pœnæ temporalis pro mensura contritionis, remissionem obtinebit. † Enarrauerim hæc pauca, ut horum exemplo cætera cognoscantur, quibus in hoc mundo pœnam peccatorum soluimus, ut mundati ab omnibus in regnum cœlorum intremus. GVLO. Non'ne pro martyrio, in mundo isto, conflagrationis ignis

Contritio.

Absolutio sacerdotis.

¶ Ignis cõflagrationis

† 1. Thimo. c. 2.

† Psal. 35.

† Luc. 2.

† Luc. 7.

† Psal. 38.

† Tho. in opusc. in explanatiõe orat. dominicæ in 4ta petitiõe

† Dixi in dial. 1. c. 1.

erit his qui illis flammis exurentur? CAM. Quomodo martyrium fidelibus pœnitentibus purgatorium est, eodem modo ignis ille pijs hominibus, qui signa proximi ignis præuidentes, constanti animo Domino adiuuante ad sustinendum illum corda præparabunt, purgatorium esse poterit. Tertium Purgatorium post mortem, ignis inferni est, prope limbum existentis, de quo in primo Dialogo fusissime locuti sumus. GVLO. Est'ne illorum opinio uera, quibus placet præter hunc inferni ignem, multa loca à Domino esse constituta, in quibus animæ fidelium peccatorũ pœnam pensitent? CAM. Gregorius Papa primus Dei prouidentiam contemplans, hanc historiam narrat; cuidam nimirum presbytero, qui balneis uti consueuerat, hoc accidisse, ut dum balneario crebrò magna cum charitate sibi seruienti ex obsonijs, quæ attulerat, gratificari uellet: Ille respondit, mihi ista quare das pater? iste panis sanctus est: ego hunc manducare non possum. Ego enim, quem uides: huius loci Dominus aliquando fui: sed culpis meis hic deputatus sum. Si autẽ mihi præstare uis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, ut pro peccatis meis intercedat. Et tunc te auditum cognosce, cum huc ad lauacrum ueneris, & me minimè repereris. † GVLO. Liber ille Gregorij non est. CAM. Quid si miraculum falsò enarratum esset. Num patrum nostrorum authoritate id commonstrari non poterit? GVLO. Quos tu authores habes? CAM. Hugone de sancto Victore authore loquor, † Vincentio Gallo † & Thoma. † quibus placet animas à corpore segregatas, exire posse è locis suis, & apparere uiuis, eadem certè Dei permissio utrunq; facit. GVLO. Pœnam ignis illi sentiunt? CAM. Quo enim modo Dæmones ubicunque sunt, perpetuò inferni pœnas sentiunt, ita ut exeũdo nullam quietem nanciscantur: † eodem animæ quæ in iudicio condemnationis ad sustinendum has pœnas ignis ad tempus iudicatæ sunt, in quocunq; loco permanserint, pœnas dant. GVLO. Damni pœna duntaxat

¶ Purgato. inferni.

Loci extra ignẽ inferni in qbus aïæ purgantur.

† Greg. lib. dialo. 4. c. 55.

† 1. Cor q. 4. † In speculo morali. q. 10. de pur. † 4. sent. dist. 21 q. 1. ar. 1. † Pri. q. 89. 8. secũdũ 4. dist. 45. q. 1. ar. 1. q. 3. o.

illa ignis purgatorij est ob carentiam uisionis Dei, uel sensus quoq; uti alij censent? CAM. Dominus quidem est, qui ignem illum fecit, iustiq; ut illorum flammis ad tempus urentibus, pœna peccatorum pensetur, cuius sensum nemo cognouit. Augustinum tamen lege, qui testatur ita ignem nostrum sese ad ignem purgatorij habere, sicut ignis depictus ad ignem uerum. † Cui Hugo subscribit. † Hoc menti retine; hoc, dum concionaris, auditores tuos doce, ne deinceps in laqueos Lutheranorum incidant. GVLO. Qui laquei? CAM. Fatentur Lutherani duo purgatoria, alterum baptismi, alterum afflictionum, & tertium ignis inferni propterea negant, ut bona opera nostra mortuis suffragari posse, simul negent. At hoc quare? nisi ut tanquam ecclesiæ Romanæ hostes pauperrimis presbyteris, ne de altari, cui seruiunt, uiuere possint, his nugis auferant? GVLO. Quid igitur prædicabo? CAM. Id eos credere oportere, nempe, ut quo modo primum purgatorium lauacri, secundum afflictionum non excludit; eodem baptismus, & mundi afflictiones, purgatorium ignem inferni non auferant: ut uel hic & non ibi, aut ibi & non hic, uel hic et ibi pœnam peccatorū soluamus. † GVLO. Quid illud ibi & non hic? CAM. Paulò ante diximus, pœnitentia à sacerdote iniuncta partem pœnæ peccatorum remitti, quam si ali qui soluere in hoc mundo nolunt, possunt sacerdoti respondere, in purgatorio igne illam soluere uolumus. GVLO. Caietano tu subscribis. CAM. Casum se proponere Caietanus inquit, qui possibilis non est, si quidem nemo hanc pœnitentiam respuere potest, ut signum crucis semel in fronte signet. GVLO. Quid tu sentis? CAM. Aut oneroso sacerdoti imputandum esse, si cum duram imposuisset pœnam, audito responso confitentis, nolit faciliorem ei præcipere, saltem ut crucis signo frontem signaret, sicut Caietanus inquit. satis cum sit ut modicum passi, in infinita Christi passione ipsa pœnitentia uigoretur. † Aut delicato pœnitenti, qui negligat crucem

† Aug. in psal. 37.
† Mach. lib. 2. c. 12. & 1. Cor. cap. 3.

† De ciuit. D. lib. 21. c. 13.

† 1. Petri. 4.

in fronte

in fronte signare, suspectus utiq; mihi esset, ne cum Lutheranis satisfactionis sacramenti pœnitentiæ partem contemnat: tametsi in purgatorio igne illã se soluere uelle dicat. Verum quia credendum est ei in actu confessionis, sic ei responderem, frater, alium quære qui te absoluat.

CAPVT SECVNDVM

Expedit ut hic pœnam peccatorum soluamus, ne grauiorem in purgatorio igne sentiamus.

GVLOCTA. CAMERARIVS.

QVID illis respondebo, qui animaduertentes purgatorium ignem ad tempus peccatores affligere, purgatorium simul & Ecclesiam irridentes, hunc in modum loquuntur: Non pertinet ad nos, quandiu moras habeamus, si tandem ad uitam æternã perrexerimus. CAM. Tamdiu argue, obsecra, increpa, donec sequentia Augustini uerba auscultent. Nemo hoc dicat fratres chariſſimi, quia ille purgatorius ignis durior est, q̃ quicquid potest in hoc seculo pœnarum uideri aut cogitari, aut sentiri. † GVLO. Qui propter ignauiam nimis confidebant, his auditis quadam pusillanimitate ducti temere desperabunt. CAM. Facile timore isto perterriti lachrymas in uia emittere poterunt, quibus peccatorum maculas abluant, itaq; spem firmissimam, ne deinde flammis exurantur, habeant. GVLO. Num toto uitæ cursu plangere cogentur? CAM. Modicum plerunq; sufficere Petrus testatur; sic enim ipse ait. Modicum nunc si oportet contristari in uarijs tentationibus, ut probatio fidei uestræ multo pretiosior sit auro, † quod quidem aurũ, ut Paulus ait flammis purgatorij ignis non exuretur. † Multis nanque placuit, plus prodesse

† De ciuit. Dei lib. 1. c. 13.

† 1. Pet. c. 1.

† 1. Cor. 3.

lachrimam, quam pœnitens in uita emittit, decem annis purgatorij ignis,† quo planè ſenſu uerba illa intelligenda ſunt. Diem pro anno dedi tibi.† GVLO. Quid cauſæ eſt ut Deus longiori tempore, duriorèq; pœna in igne purgatorio animas exurendas eſſe ſtatuerit? CAM. Facilè huius rei cauſam inueniet quiſquis ſpõte aliquid agere, obedientiamq; Domino præſtare longè maius opus eſſe animaduerterit, omni pœna, quam condemnati poſt mortem ſuſtinemus, quo tempore nil mereri, aut demereri quimus. Obedientia quidem urget, quam Dominus ab homine exigit, iuxta illud, Nunc cognoui quòd timeas Deum, quia obediſti uoci meæ. † Hinc certè prouenit, ut plus ille mereatur, qui iniunctam à ſacerdote pœnitentiam agit, altero qui ſponte hoc modo pœnam ſoluit. GVLO. Expedit ergo ut pœnitenti dicamus, fili, ecce à Domino, qui contritionem tuam inſpexit, æterna pœna in temporalem commutata eſt, & authoritate clauium meo myſterio, dum manum ſupra caput tuum impoſui, pars quoq; pœnæ à Domino tibi remiſſa eſt. Atqui ſcire te uolo, in purgatorio igne reliquam partem te ſoluere oportere, niſi in uita hoc agas, quemadmodum propheta Dauid egit, qui ſciens ſibi eſſe remiſſam, pro pœna Domino narrabat, peccatum coram ſe eſſe ſemper, non ut illius recordaretur, nil aliud agens, ſed potius, ut memor peccati eam ob cauſam perſæpe contereretur, quia contritio frequens, ut magna pars pœnæ remittatur, impetrat. CAM. Salubris admonitio hæc erit. GVLO. Quid ſi pœnitẽs reſiſtat? CAM. Abſque illius pœnitentiæ contemptu, dicere fas ei eſt, id quod uiuus præſtare non poſſum, poſt mortem in igne purgatorio ſoluam. GVLO. Quandiu pro quolibet peccato flammæ purgatorij ignis peccatoris animam exurent? CAM. Incertum hoc nobis eſſe Auguſtinus reſpondet, tu uerò Doctores lege; & conſideratis qualitatibus peccatorum, grauitateq; ſupplicij, quæ cum ipſa longitudine ſic compenſari ſolet, ut tempus breue iudicij pro mille annis

† Ludulphus de vita chriſt. lib. 1. c. 20.

† Ezech. 4.

† Gen. 22.

† Aug. ser. 4. de sanc. et ser. 41.

reputetur, præsertim cum corpora quoque in illo igne ardebunt, † & his perlectis tibi ipsi responde. HOC unum ego semper cogito, quod BERNARDUS dicere solebat, beatum se existimare, si pro pœna suorum peccatorum usque ad iudicij diem in purgatorio igne exuretur. GVLO. Eam fortasse ob causam BERNARDUS sic loquutus est, quia pœnam damni hoc est carentiam uisionis Dei in illo igne sustinemus, non autem sensus. CAM. Augustinum ego sequor dicentem, ita ignem nostrum sese ad ignem purgatorij habere, sicut ignis depictus ad ignem nostrum. †

† Dixi supra c. primo.

CAPVT TERTIVM.

Quæ populo de ipso purgatorio igne prædicanda sint.

GVLOCTA. CAMERARIVS.

QVID ex his, quæ scripsisti, ijs qui me audient, communicaturus sim, tuo ex ore nunc audire optarem. CAM. Dei spiritus tuo in ore loquetur. GVLO. Ita fore credo, interim tamen scire ex te uelim quid tu, Deo te totum committens ex his quæ scripsisti, coram populo prædicares? CAM. Ea sanè fratribus proponerem, quæ Dei spiritus mihi indigno peccatori reuelauit. GVLO. Quid diceres? CAM. Viri fratres, iam uidistis ueram Ecclesiam Dei, quam unam sanctã catholicam, & apostolicã confitemur, Romanam esse, quæ palmites suos per totum orbem distendit: reliquas uerò, quæ ab Apostolorũ temporibus aliter senserunt, q; Romana senserit, sectas, ac Satanæ synagogas fuisse. † Vidistis quoq; tam apostolos, q; eorundẽ apostolo-

† In nostro libello de vera Ecclesia Dei.

lorum discipulos atq; patres omnes, quotquot à Christo usq; in hũc diem fuerunt, Christi exemplo orasse, qui pro Lazaro mortuo fusis lachrimis orauit. Videtis insuper quot sacræ scripturæ testimonijs hæc Ecclesiæ consuetudo orandi pro mortuis fuerit comprobata, nullum item orthodoxum scriptorẽ inueniri, qui aliquando purgatorium negarit, omnes uerò illud confiteri. Sed quid præterea? nempe ut nec Martinus Lutherus illud ausus fuerit negare, ac deniq; doctissimos Græcos, qui aliquando illud negauerant, apertam palinodiam in Concilio Florentino cecinisse, ac perpetuo pro defunctis orasse. Ad hæc uos fideles Christiani, qui ueritatem inquiritis, hoc aliud pro ipso Purgatorio considerate. Cum enim quædam hæresis orta fuisset, quippe animas ante corporum resurrectionem in paradisum intrare nõ posse, nec interim animas in purgatorio igne detrimentum aliquod pati; in Cyrillum hoc audientem, tantum dolorem irruisse scriptum est, ut tæderet eum amplius uiuere, Ecclesiã uero tribus diebus orationi et ieiunio intẽtam à Domino obtinuisse, ut Hieronymus mortuus iam, Eusebio eius discipulo manifeste appareret, cui benigna confortatione eum alloquens dixit. In hac secta mortifera minime formida, cum iam sibi finis imponẽdus erit. Cyrillo, cunctisq; fratribus nuncia, ut die crastina, iuxta præsepe Domini, ubi meum quiescit corpus, omnes in unum conueniant, tam catholici, q̃ illius sectæ uiri. Et tu trium hominum, qui in hac sunt Vrbe hac nocte defuncti, cadauera inhumata in locum, in quo meũ est humatum corpus, facies deportari: super quibus saccum, quo ipse utebar, ponens, statim uitæ pristinæ redditi, hanc radicitus hæresim extirpabunt. Quo audito, fiebat interea ab illius sectæ cultoribus derisui, credentibus fortasse quòd foret exinanita manus Domini. Eusebio tamen orante, ac dicente, Deus, cui nihil est impossibile, nunc preces tuorum exaudi fidelium; et ut tua, quam dedisti, fides intemerata, inuiolataq; per secula maneat, ac etiam hos

Argumentũ pro purgat.

rum error appareat, & per merita & interceſſiones glorioſi tui Hieronymi dilecti, introduc in hæc cadauera animas, quas de ipſis egredi uoluiſti. Qua quidem oratione finita, ſingulorum, ſacco, quo ſupra carnem glorioſus Hieronymus utebatur, tangens cadauer, protinus in id uitæ ſpiritum introduxit. Qui homines apertis oculis, omnibuſq; uitæ ſignis oſtenſis ſunt perfecte reſuſcitati. Et cœperũt beatarum animarum gloriam et peccatorum pœnas tam purgatorij q̃ inferni omnibus nunciare. Populus uero tam fidelis, quàm ſectæ illius, immenſas laudes Deo retulerunt. † GVLO. Neſcio qua ratione his auditis Lutherani os audent aperire. CAM. Quanquam Eraſmus, qui omnium librorum Auguſtini cenſor eſſe uoluit, omnino taceat, quod magnum ueritatis ſignum eſt: non tamen Proteſtantes reſpondere deſinunt, hanc epiſtolam ſuppoſitã eſſe. GVLO. Satis manifeſtam cauillationem hanc eſſe, tum ea ratione patet, quia falſitas niſi doceatur, minimè præſumenda eſt: tum etiam, quia epiſtola illa Cyrilli eſt ad Auguſtinum miſſa, qui ſtylum Cyrilli diu nouerat, & uitam Hieronymi enarrans ei fidem adhibuit. CAM. Non quidem ut Lutherani credant, laborandum tibi eſt: qui omnes hiſtorias etiam hiſtrionum, ſi eorum ſectæ faueant, & hiſtorias (etiam Ioſephi) ſi quæ illis aduerſantur, flocci faciunt. Sed ut illis prodeſſe poſſis conandum, qui ueritatem ſcire ſumma cum pietate optant. GVLO. Quid rectè credentibus poſt eorum mortem ſupererogationis opera, & ſacrificium altaris poſſe eorum animabus prodeſſe præter hæc dicam? CAM. Agite fratres obnixe rogo, ut dum uiuitis, uos ipſi peccata ueſtra eleemoſynis, ieiunijs, orationibus, & ſacrificio Euchariſtiæ redimatis, quando beatius eſt liberum exire, q̃ poſt uincula libertatem quærere. † Vos ipſi hæc agite, & uosmetipſos affligite, ſcientes quòd ſi conſilium hoc neglexeritis, Deum ipſum in uos animaduerſurum, ne forte, cum hanc ob cauſam cruciatus ſuſtinere neceſſe ſit, cum Iobe acclamantes

† Aug. epi. 206.

† Aug. Pſal. 95. pla. 2.

dicatis, Miseremini mei, miseremini, uos saltem amici mei. † Nam scriptum est, iustus sperat in morte sua. † non ut post mortem speret: si quidem tunc rem pro spe capit, sed quia in uita sic uixit, ut mercedem post mortem sperare queat, quemadmodum alio in loco scriptum est, Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defensionis suæ benedicetur. † GVLO. Quid si dicant. Optamus quidem hoc agere, sed humana fragilitate impediti, aliter uitã ducimus, q; optamus. CAM. Ab illo sapientiam petant, qui affluenter omnibus in fide non existentibus eam dat. † GVLO. Quid si orantis culpa non detur? CAM. Omnium etiam occultorum peccatorum contritionem habeant, & Deo omnia committentes, sustentationes eius hic uel ibi, aut ibi & non hic, uel ibi & hic, sicut Domino placuerit, sustinere parati sint, † scientes raros esse illos, qui non sustinent pœnas hic, sed solum in futuro, interim tamen ne quando desinant pro mortuis orare, sed Iesu sirach consilium sequantur, qui hunc in modum filium adhortabatur: fili produc lachrimas in mortuo, & quasi dira passus incipe plorare: & ne despicias sepulturam illius. † & alio in loco, mortuo ne neges gratiã. † non quidem ut papæ adularentur, Iosephus in libro Machabæorũ, Thobias & Iesus sirach ista scripserunt, sicut Lutherani acclamant. GVLO. Quid si pro illis misericordiæ huius opera fiant, qui in cœlo manent, ac nostrorum bonorum proinde non egent, quia summo bono fruuntur: quod summũ non esset, si aliquo opus haberent: uel pro illis qui in inferno pœnas æternas dant? CAM. Si qui propter incertitudinem status mortuorum putantes eos in purgatorio manere, in his miserationibus sese exercuerint, quanq; illi in inferno maneãt, suas cõsolationes hæc agendo, hi qui hæc agunt, in primis sentient; deinde pro se & alijs in purgatorio existentibus apud Dominum acceptæ erunt. Sic enim orationes nostræ in sinum nostrum plerunq; cõuertuntur. † GVLO. Quid præter hæc? CAM.

Argumentũ vltimum pro purgatorio

† Iob. 17.
† Prouer. 14.
† Eccl. c. 1.
† Iaco. c. 1.
† Diximus sæpe dialogo primo.
† Eccl. 38.
† Eccl. 7.
† Aug. Enchi. c. 109. et ser. 32

Omnibus ſuadeas uolo, ut minime de purgatorio igne, fruſtra aerem uerberando, diſputare uelint, ſed potius librum hunc ad finem uſque legant, et deinde quid eis credendum ſit, intelligant. GVLO. Poteris itaq; tu eleganti phraſi librum hunc excudere, ut tum rerum, tum ſermonis ſuauitate allecti, alacri animo illum legant. CAM. Quid mihi cum rethoribus? quid cum elegantia ſermonis? num grammatiſtis ſcribo? qui perinde uerba, contempta re, commendant, ac illi faciunt, qui dum alicuius mulieris pulchritudinem laudare uolunt, omnem laudem ornatui ueſtimentorum duntaxat tribuunt. Non quidem res ſacræ Lenocinio Ciceroniano egent, nec ſcribi poſſunt, quemadmodum in noſtro rhetore † multis argumentis apertè probauimus. Legant igitur quotquot pij Lectores erunt, cæteri contemnant, ac uidentes non uideant. Scio enim multos uocatos, paucos uerò electos eſſe, animaduertant tamen interim qui catholici ſunt, duriorem hunc ignem fore omnibus pœnis, quæ in hoc mundo, aut uideri, aut cogitari poſſunt. †

† De vera eccle. Dei dialog. 2.

† Aug. in ſer. de ſanc. ſer. 4.

FINIS.

Romæ apud Antonium Bladum Impreſſorem Cameralem. Anno M D LVII

ERRATA.

Fol. 2. pag. 2. ver. 10. rogo dele

Fol. 8. pag. 2. ver. 23. consequuntur

Fol. 10. pag. 1. ver. 12. persuadere
& pag. 2. ver. 1 cum duo

Fol. 18. ver. 2. hoc nobis

Fol. 34. pag. 2. ver. 6. & 7. & resurgit itaq; septies quoq; quæ iniustus est gratia Dei ad iustitiam conuertitur.

Fol. 37. ver. 7. audiant lactantes

Fol. 43 pag. 2. ver. 15. ne quando lege nequaquam